817

EX·LIBRIS
IN·TENUI·LABOR
Vergil. Georg. IV, 6.
GUALTERI
ROBERTI·TORNOWI

8

Dr. Henri Birven

MAGIOLOGISCHES STUDIO
„TELETES"
Leitung: DR. HENRI BIRVEN
BERLIN-WITTENAU
ORANIENBURGER STR. 84

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Research Library, The Getty Research Institute

http://www.archive.org/details/symbolicadianaee00mene

SYMBOLICA
DIANÆ EPHESIÆ
STATVA.

Antiquit.
260

Cimelien (nl.): Kleinodien, Kostbarkeiten (gr. keimelion = kunstreiches Kleinod).

SYMBOLICA DIANÆ EPHESIÆ STATVA

A CLAVDIO MENETREIO

CEIMELIOTHECÆ BARBERINÆ PRÆFECTO

EXPOSITA.

Cui acceſſere

Lucæ Holſtenij Epiſtola ad Franciſcum Cardinalem Barberinum De Fulcris, ſeu Verubus Dianæ Epheſiæ ſimulacro appoſitis,

Io. Petri Bellorij Notæ in Numiſmata tùm Epheſia, tùm aliarùm Vrbium Apibus inſignita.

Editio altera auctior

Et ab eodem pluribus quàm antea Nummis, & antiquis Monumentis illuſtrata.

ROMAE,

Apud Io. Iacobum de Rubeis ad Templum S. Mariæ de Pace, ſuis ſumptibus, & cura, cum Priuilegio Summi Pontificis. 1688.

SVPERIORVM PERMISSV.

EMINENTISS. AC REVERENDISS.

PRINCIPI FRANCICSO BARBERINO CARDINALI

FEDERICVS VBALDINVS.

NON vereor, Domine, vt hilari vultu excipiatur à te quem tibi offero libellum : tuus enim eſt iure patrocinij ; nam Clariſs. Menetreius eum reliquit poſthumum ingenij ſui partum. Qua ergo pietate auctorem olim fouebas, & hunc fouebis certo ſcio ; cum Claudium ipſum, quem tu plurimùm amabas, ab obliuione in hominum memoriam

riam ſis euocaturus. Etenim ſi præclarè conſultum eſt, vt eius, qui ſacrilega gloriæ cupidine actus Dianæ Epheſiæ templum incendit, nomen aboleretur: meritò illius per vniuerſum terrarum orbem celebrabitur induſtria, qui pio aduerſus omnem Antiquitatem ſtudio eandem Dianam inſtaurare contendit.

SYMBOLICA DIANAE EPHESIAE STATVA EXPOSITA.

AEGYPTIORVM genti antiquiſſimæ, externæque eruditionis contemptrici moris fuit, vt quæ in ſuperiori, inferiorique recondita erant natura, ea ſolis Sacerdotibus primæque notæ viris reuelaret. Indignum ſcilicet exiſtimabat ea profanis & imperitis hominibus communicari, ne in vulgus edita arcanorum religioſa maieſtas euileſceret. Ipſi itaq; Hierophantæ, rerum naturam hieroglyphicis notis adumbrabant, ipſarumque adeò rerum effigies pro Dijs conſecrabant: & Mercurio quidem Hermas, Soli literatos Obeliſcos, Naturæ principis & mundum adminiſtrantis imagines, offerebant. Eius diſciplinæ ſectatorem fuiſſe conijcio primum Epheſinæ Dianæ vel inuentorem, vel ſculptorem: certè tot illi adaptauit Symbola; vt arcanum & grande aliquid ſub ijs intelligi voluerit. Ego in illis communis rerum parentis, & conſeruatricis Naturæ typum agnouerim, quod & omnis Symbolorum ſeries oſtendit, & mellifluæ potiſſimum Apes indicant: quas benigno ſalutarique eius numini frequenter adſcripſit Antiquitas. Verùm vt commodius hæc à me Sparta illuſtretur, quatuor Epheſini ſimulacri apographa proponam, quæ Romæ viſuntur. Priora quidem duo expreſſa ſunt ex marmoreis ſignis longè elegantiſſimis; quæ in celebri reconditæ vetuſtatis penu extant apud Eminentiſſimos Franciſcum & Antonium Cardinales Barberinos, principes non minus huiuſmodi elegantiarum amore & ſtudiorum patrocinio, quam ſanguine & dignitate coniunctos. Tertium in ædibus Scipionis Lancellotti, Lauri Marchionis: vltimum apud Vincentium Iuſtinianum Baſſani Marchionem aſſeruatur.

Porten-

Portentosum planè atque ab omni veterum Deorum cultu, & ornatu alienum hoc simulacrum videtur. Sed qui penitus omnia eius symbola examinauerit, varia sub ijs mysteria reconditæ illius priscorum Aegyptiorum sapientiæ latere deprehenderet: quin etiam sub istis diuersarum animantium figuris quibus Diana decoratur, aliqua Pythagoreorum placita & dogmata contineri animaduerte: qui Lunam circumquaque ad instar terræ, quam nos incolimus, grandioribus habitari animalibus, & pulchrioribus consitam plantis arbitrati sunt. Et hanc quidem ipsorum doctrinam, haud temerè referamus ad varia hæc symbola, quibus Diana nostra (quæ ipsissima Luna est) exornatur, cuius totum fermè corpus non modo diuersis animalium, verum etiam fructuum generibus vestitum conspicimus.



apud Card. Barberinum

apud Card. Ant. Barberinum

Apud Marchionem Lancelotum

Apud March. Vinc. Iustinianum

DIANÆ EPHESIÆ VARIA NOMINA.

COmmuni & recepto indigitamento hæc Symbolica figura APTEMIC EΦECIΩN, id eſt, DIANA EPHESIORVM dicebatur, quamuis ſub hac effigie apud remotiſſimas etiam gentes coleretur. Certè Pauſanias inter alios auctor eſt, varijs in locis Dianam Epheſiam ſummo in honore fuiſſe habitam. Nonnullis tamen alijs etiam titulis fuiſſe inſignitam ex veterum monumentis obſeruabis. Ac in primis Opin denominatam apud Macrobium Saturn. lib. 5. cap. 22. reperies. Is etenim ex Alexandro Aetolo refert, Epheſios dedicato auguſtiſſimo templo Dianæ celebrioribus Muſarum alumnis præmia ampliſſima conſtituiſſe, vt in Deæ laudem carmina diuerſa componerent. In hiſce peculiari encomio à quodam vate Opin dictam fuiſſe Dianam commemorat hoc verſu:

Ὑμνῆσαι Ταχέων Ὦπιν βλητῆρα ὀϊστῶν.

Vt celebrem iaculis ornarent laudibus Opin.

Verùm enimuerò præ cæteris præconijs, quibus decorabatur, acceptus illi fuit ac peculiaris Magnæ Dianæ titulus: cuius rei præter profanos auctores teſtem etiam locupletiſſimum habemus S. Lucam in Act. Apoſtol. cap. 19. qui Dianam Magnam à Demetrio quodam ſeditioſo ciue cognominatam pronunciat: eò fortaſſis quòd Epheſij Dianæ numen potentia cæteris Dijs antecellere crederent; vel fortè ob celebritatem auguſtiſſimi ipſius templi; aut quia inter Magnos Deos (vt ſcriptores vetuſti referunt) numerabatur. Hoc ipſum diuinus ille Plato de Diana etiam (vt reliquos taceam, qui veterum deorum Theogonias contexuerunt) calculo ſuo confirmauit, dum Solem & Lunam Magnos Deos nuncupauit. Diana demum hæc noſtra appoſitè à Diuo Hieronymo in Epiſt. Paul. ad Epheſios Polymamma denominatur, quem audire ſi lubet, licet venuſte ſtatuam noſtram hoc modo depingentem: *Dianam Multimammiam colebant Epheſij, non hanc venatricem, quæ arcum tenet, atque ſuccincta eſt, ſed illam Multimammiam, quam Græci* πολύμαστον *vocant, vt ſcilicet ex ipſa quoque effigie mentirentur, omnium eam beſtiarum & viuentium eſſe nutricem.* A Minucio item Felice in Octauio: *Multimammia etiam Diana Epheſia depingitur.* Obijcere autem poſſet aliquis Macrobij auctoritate fultus, Iſidis potiùs hanc eſſe, quàm Dianæ effigiem; apud quem hæc habentur: *Iſis cunctâ religione celebratur, quæ eſt vel terra, vel natura rerum ſubiacens Soli. Hinc eſt, quod continuatis vberibus, corpus Deæ omne denſetur: quia vel terræ, vel rerum naturæ halitu nutritur vniuerſitas.* Et hanc Macrobij deſcriptionem firmare videntur gemmæ non paucæ, aliaque veterum monumenta: in quibus Iſis eadem forma, quà hic à Macrobio deſcribitur, expreſſa eſt. Quo etiam ſchemate Canopum ſuum fin-

gebant priſci illi Aegyptiorum mythologi, non appoſita tamen mammarum multitudine. At noſtra Diana ab Iſide Aegyptia differt quidem formâ aliquantulum, non autem numine, quia nullo prorſus diſcrimine inter ſe diſtant. Nam Diana Epheſia turritum coronamentum, & varia animantium emblemata expreſſa habet: Iſidis vero Phariæ tempora cingunt vulturis, aut accipitris exuuiæ, cum orbe patulo; reliquum autem corpus hieroglyphicis notis inſignitum (vel vt cum Apuleio loquar) *miris extrinſecùs ſimulacris Aegyptiorum effigiatum conſpiciebatur*: cuius ectypon maioris notitiæ gratia ex annulari gemma deſumptum hìc ſubijcio. (1)

Sed de Iſide hoc adijciam: nuſquam ceruos eius obſequio à priſcis illis Aegyptijs deſtinatos fuiſſe. Id ex omnibus Aegyptiorum monumentis obſeruare liquet, in quibus ceruos appictos nuſquam reperies. Præterea Ariſtoteles hiſt. animal. lib. 8. cap. 28. & Plinius lib. 8. cap. 33. memoriæ prodiderunt, Africam primis illis ſeculis ceruos non tuliſſe: atqui de more rituquè priſcæ illius gentis nulla animalia exotica dijs patrijs conſecrabantur. Dianam verò hanc noſtram ceruis tanquam individuis comitibus ſemper circumſtipatam videmus. Myſtica tamen hæc ſimulacri emblemata nobis anſam conijciendi abundè ſubminiſtrare poſſunt, Epheſios Aegyptiorum diſciplinas, & inſtituta præ oculis habuiſſe, dum tam varijs ſymbolis Dianæ ſtatuam adornarunt. Verùm vt auguſtior patrij numinis maieſtas redderetur, non ſolùm quæ præcipua erant Iſidis attributa, ſed etiam Magnæ Matris, ſeu Cybeles Phrygiæ muralem coronam, Cereris Eleuſinæ boues & fruges, Dianæ Siculæ ceruos, & roſas mutuati, nouum Naturæ numen ſub Dianæ indigitamento compoſuerunt, vnico ſimulacro omnium prædictarum virtutes, & proprietates coniungentes. Non enim varij ſacrorum ritus, vel formæ deorum diuerſæ apud priſcos efficiebant, vt ipſa numina re differrent; quod multis rationibus Macrobius, Satur. lib. 1. Phurnutus, alijque Mythologi euincere contendunt, qui omnes Deos ad vnicum Solis numen reuocant. Apuleius quoque Iſin, Deûm Matrem, Mineruam, Iunonem, Dianam, Cererem, Venerem, Proſerpinam, Hecaten vnam eandemq; eſſe prædicat: diuerſis tamen nominibus celebratam, ac multiplici ſpecie à varijs gentibus cultam. Quod & ex diuerſis argumentis in noſtro hoc Dianæ ſigno expreſſis oſtendere conabimur. Sed antequam rem ipſam aggrediar: duo antiqua Epheſiorum numiſmata propono, in quibus eadem prorſus effigie Diana Epheſia expreſſa viſitur. (2)

In anteriori orbe primi nummi Traiani effigies, & huiuſmodi eſt inſcriptio: AYT. KAIC. TPAIAN. CEB. alter verò, quem tanquam ſuccenturiatum teſtem adduxi, exhibet in antica parte, Marci Aurelij imaginem, cum his litteris: AYT. KAIC. M. AYP. ANTΩNEINOC. CEB.

cuius



I. *Isidis Pharię coronamentum cum orbe patulo, et exuuijs Vulturis aut Accipioris ex anulari gemma*

II. *Isidis Pharie imagines, et coronamenta cum Loto, ac Lunæ globo ex nummis Helenæ Iuliani Imperatoris Vxoris*

III. *Dianæ Ephesiæ simulacrum cum murali, ac turrita corona ex nummis Traiani, et M. Aurelij*

cuius delineandi poteſtatem mihi fecere Brutus & Franciſcus Gotifredi fratres, vnanimes in conquirendis, & aſſeruandis veteribus monumentis. Nonnulla etiam alia numiſmata eadem ſpecie ab Epheſijs conflata, ab Huberto Goltzio, Guillelmo du Choul, Fuluio Vrſino, Adolpho Occone, alijſque in lucem ſunt edita. His breuiter de nominibus, dequè Dianæ forma præmiſſis, nunc ex qua materia ſimulacra iſta Epheſij effinxerint deſpiciamus.

STATVÆ MATERIES.

EX duobus Epheſiorum nummis prolatis tituliſque adiectis, hanc noſtram ſtatuam genuinam antiquæ illius Epheſiæ Dianæ ſpeciem referre certiſſimè conſtat. Quanta verò arte & diligentia horum ſignorum opifices genuinam ſimilitudinem ipſius Epheſini ſimulacri accuratè exprimere allaborarint, præter varia ſymbola affabrè cælata, diuerſus etiam ille marmorum color, ex quo hæc Dianæ ſigna compacta ſunt, nullo negotio demonſtrat: cum ad illius imitationem vniuerſum pectus ex marmore candido; vultum autem, manuſque & pedes inſititios ex lapide Lydio nigerrimo eos compoſuiſſe & efformaſſe videamus. Peruetuſtum enim ac celebre illud ſimulacrum Dianæ ex ebeno fuiſſe dolatum maxima veterum Scriptorum turba Plinio referente prodidit: idemque aſſerit Iornandes in rebus Geticis. Hoc autem non nouum inuſitatumque fuiſſe priori æuo Pauſanias in Arcadicis haud obſcurè oſtendit: apud quem ſimulacrum Dianæ Limnatidis ex ebeno fabrefactum reperitur. At Vitruuius lib. 2. c. 11. contrà ſentire videtur, dum templi Epheſini ſignum, nec non lacunaria ex cedro facta fuiſſe commemorat. Alij verò vitigineum fuiſſe prædicant; inter quos Mucianus Conſul apud Plinium habetur, qui ſe illud proximè ſpectaſſe dicebat. Sed hoc moroſioribus examinandum relinquo. Vt vt ſit, probabili coniectura aſſequi licet, Deæ membra prominentia vel ex nigra quadam materia compoſita, aut fuſco aliquo colore obducta fuiſſe: & coniecturam meam iuuant non pauca Dianæ Epheſiæ marmorea ſigna, quæ Romæ extant, cum facie, manibus, & pedibus ex lapide nigerrimo inſertis; & hæc quidem opera eodem fermè ſchemate, quo hæc noſtra, efficta.

Nunc vt ad incepta me referam, vetuſtiſſimos illos Dianæ myſteriorum interpretes, ex primogenio gentium inſtituto totum Deæ corpus ex ebeno potiùs quàm alio quouis ligno efformaſſe, non equidem temerè conijcio, cum hoc genus ligni præ cæteris alijs, naturæ Lunaris ſideris maxime congruere videatur. Nam per atrum & ſuboſcurum ebeni colorem noctis opacæ tenebras (quod proprium eſt Lunæ, ſeu Dianæ tem-

pus) conuenienter illi Mythologi designare potuerunt. Hæc etenim Græcis Νυκτίδρομος, Ἐννυχία, & Μεγάγχρους; Latinis, *Noctiluca*, *Noctiuaga*, *Dea Noctium*, & *Noctium sidus* passim dicitur. Cumq; constet, (vt supra ex D. Hieronymo referebamus) Naturam rerum omnium parentem sub hoc simulacro ab Ephesijs fuisse cultam; sic & ipsa nox apud vetustissimos Poetas, vt apud Orpheum (in noctis suffimento) rerum cunctarum parens habetur : quin chaos & tenebræ prima rerum exordia esse dicuntur. Non ineptè igitur ex huius disciplinæ fonte, ebeni lignum electum fuit ab Ephesijs mystis ad nocturnum Lunæ tempus designandum, & Symbolicum naturæ simulacrum fingendum : cum eius vestigia, caliginosa etiam sapientioribus semper fuerint, eiusq; virtus perspectu cognituque difficillima. Cereri autem (quam à Diana non abhorrere mox ostendam) ater etiam color gratus, acceptusque fuit. Vnde & initia eius ex prisco Eleusiniorum ritu, nocturno tempore potissimùm peragebantur; eiusque Sacerdotibus sancitum erat, ne alia veste quàm nigra vterentur. Et apud Phigalenses Ceres cognomento nigra peculiari studio colebatur, prout Pausan. in Arcad. obseruauit. Addatur insuper, ebeni lignum putredini, corruptioniq; minimè obnoxium esse, vt Theophrastus in histor. Plant. & Plinius lib. 16. cap. 4. annotarunt. Propterea hæc arbor inter æternas numerabatur. Aeternitas verò in nummis Faustinæ Iunioris, Lunam pro Symbolo sortita est. Quas ob causas proculdubiò Luna, seu Natura, ebeni lignum tanquam proprium & peculiare expetit.

Sed iam vetustissimæ illius Statuæ incunabula perscrutemur. Hanc non humana arte expolitam, sed cælo diuinitùs missam Ephesij tam arroganter quàm falsò prædicabant. Ad quod vetus quidam Poeta Græcus alludens, celebritatem templi Ephesini, famam simulacri Dianæ, ipsiusq; ciuitatis gloriam eleganti epigrammate celebrauit.

Τίς ποτ' ἀπ' οὐλύμποιο μετάγαγε Παρθενεῶνα,
Τὸν πάρος οὐρανίοις ἐμβεβαῶτα δόμοις
Ες πόλιν Ανδρόκλοιο, θοῶν βασίλειαν Ιώνων
Τὴν δορὶ, καὶ Μούσαις αἰπυτάταν Ἔφεσον;
Ἠρὰ σὺ φιλαμένα τιτυοκτόνε μέζων ὀλύμπου,
Τὴν τροφὸν ἐνταυθοῖ τὸν σὸν ἔθευ θάλαμον;
Quis tulit è cælo sublimem Partheneonem,
Qui fuerat superis cognitus ante Deis
Mœnia vbi Androcli, imperiumque existit Ionum,
In claram Musis, militiaque Ephesum?
An quia grata magis cælo tibi terra sit altrix,
Percupis hic thalamum esse Diana tuum?

Sed

Sed missis fabulis, simulacrum illud potius ab Amazonibus positum dixerim: cùm Ephesini templi constructio ijsdem à Dionysio Periegete tribuatur.

Παρ᾽ἁλίῃ Ἔφεσον, μεγάλῃ πόλιν ἰοχεαίρης,
Ἔνθα θεῇ ποτὲ νηὸν Ἀμαζονίδες τεύξαντο,
Πρέμνῳ ἔνι πτελέης.
Maritimam Ephesum magnam urbem Dianæ,
Vbi Deæ ædem quondam Amazonides struxerunt
In trunco stipite ulmi.

Vero autem propius sit, Amazones simulacrum Dianæ vouisse, vt sacram ædem ei dedicarent. Fauet Callimachus hymn. in Dianam.

Σοὶ δ᾽ Ἀμαζονίδες πολέμου ἐπιδευομήτορες
Ἔν ποτε παρ᾽ἁλίῃ Ἐφέσῳ βρέτας ἱδρύσαντο,
Φηγῷ ὑπὸ πρέμνῳ.
Tibi etiam Amazones belli affectatrices
Olim in littore Ephesi statuam posuerunt,
Fagino sub trunco.

Illud mirum, eiusmodi simulacrum intactum illæsumque remansisse, nec fuisse mutatum ipso Deæ templo septies restituto, vt Plinius lib. 16. cap. 40. testatum reliquit. Porro eàdem plane symmetria ac forma, qua reliquas Deorum imagines, primitùs formatum fuisse hoc simulacrum crediderim. Sed deinde Ephesiorum hieromystæ gloriæ patrij numinis consulentes, vt varias Dianæ seu Lunæ vires, effectusq; denotarent, aurea, argentea, aliaque ornamenta, pro tempore tamen, & ad libitum exemptilia excogitarunt; & diuersorum animantium toreumata, & emblemata in ijs exprimi curarunt. Coniecturam nostram firmat candidus ille ornatus marmoreus, quo totum Deæ corpus obducitur, quandoquidem in nonnullis alijs Dianæ Ephesiæ dissimilia à nostris symbola contineri obseruarim.

CORONA FLOREA, ET TVRRITA Dianæ vertex insignitur.

Dianæ caput duplex cingit corona: quæ apposita fronti, florida est; altera muralis: vtriusque minimè vulgaris ratio, sed ab Aegyptiorum sacris petita, quos neque radijs, neque lauro, neque olea, neque quercu patriorum Deorum capita cinxisse liquet. Isidis certè capiti Vulturis aut Accipitris pennas, modò exuuias aspidis, iam bouina cornua, & orbem

orbem apponebant. Osiridis vertici calathus, seu modius pro corona erat. E fronte Harpocratis malum persicum cum foliis eminebat. Quæ hìc attexenda duximus, vt Ephesios haud absimile institutum præ oculis habuisse indicaremus. Nam Dianæ vertex apud cæteras nationes solâ falcatæ Lunæ sectiunculâ insignis conspiciebatur. Verùm, vt quod huius est loci exequar, in eius Strophio Rosæ, Chrysanthemique cum corymbis sunt: decenter quidem, cùm iuxta Plinij mentem lib. 21. cap. 25. Lunæ globum rotundum imitentur, & ad Solis repercussum aurei videantur. Ea propter Lil. Giraldus coronam ex heliocryso siue chrysanthemo Dianæ attribui à priscis scriptoribus memorat; nec absque ratione, quòd hoc floris genus helichrysum, seu heliochrysum denominatum perhibeant ab Helichryse quadam Ephesia puella, quę prima è flore chrysanthemo Dianam coronauit. Quid si per rosas simul pactas, Cereris & Dianæ cognatum numen sagax Ephesiorum religio denotarit? Numquid pariter rosas Dianæ veluti montium, & hortorum dominæ, florumque procreatrici concedemus? Apuleius lib. 11. Metam. multifarias illi coronas adscribit. *Corona multiformis varijs floribus sublimem distinxerat verticem*. Idemque paulò inferiùs, coronam rosaceam in pompa illa, & apparatu Deæ celebri à Sacerdotibus prægestari solitam pronuntiat: alibi autem *nunc, albo candore lucida, nunc croceo flore lutea, nunc roseo rubore flammida*, eadem ab illo coronà describitur. Quid verò aliud hæc florum varietas in Dianæ corona, quàm diuersos illos circulos qui circa Lunam apparent designare posset: Hos etenim constat coronas à probatis auctoribus vocari: fidemque nobis faciet Plinius lib. 2. cap... cuius verba placet adscribere: *existunt eædem corona circa Lunam, & circa nobiliora astra*. Aristoteli & nonnullis alijs Græci sermonis antesignanis hi circuli ἁλῶνες dicuntur. Quam vocem interpretes modò coronam, modò circulum vertunt. Seneca in princ. quæst. *hunc* (inquit) ἅλω *nuncupant, quem nos dicere coronam elegantissime possumus*. Rosaceam quin etiam coronam ad Cererem non inuitus traham. Cuinam enim decentius, quàm Cereri coronam ex lectissimis floribus plexam Ephesiorum religio tribuere potuisset, cùm ex felici eius gremio flores ortum ducant? Equidem corona rosacea, & florida apud veteres hilaritatis erat indicium: huius autem Deæ festum summo cum lusu, & gaudio antiquitus celebrabatur, prout Phurnutus testatur. Non pauci item alij flores intertexti, inter quos & narcissus. Ceres etenim apud Sophoclem narcissum, præ alijs floribus exoptat, & Magnarum Dearum coronamentum esse perhibet, quas eius Scholiastes Cererem, & Proserpinam interpretatur. Item hiacynthus ex Pausaniæ auctoritate, qui hiacynthinas corollas sacris Cereris adhibitas fuisse prædicat in Chthonijs diebus festis. Cæterùm omnibus palam est, rosam esse florum reginam,

ac huius ſymbolo potentiam, regnum, & imperium conuenienter deſignari. Appoſitè igitur Cereri roſa competit, cùm hæc ſit Omnium regina vt feſtiuè notauit Euripides.

Καὶ φίλα Δαμάτηρ θεὰ, ἁπάντων
Ἄνασα, ἁπάνων ἢ γᾶ τροφὸς.
Et amabilis Ceres Dea Omnium regina,
Omnium vero terra altrix.

Nemini autem mirum videri debet, ſi Ceres, ſeu Diana Epheſia, quæ domina mundi habebatur, duplici corona donata, exornataq; fuerit: cùm peculiari quodam cultu Dianam Epheſiam coronis, non autem ſanguinolentis victimis cultam fuiſſe proditum extet. Etymol. in ψ, ἐφέσου. Epheſij enim στεφάνοις διὰ θαλλῶν τὰς ἱκεσίας ποιοῦσιν *coronis per oleæ ramos ſupplicationes faciunt*. Dictamno etiam hanc Deam veteres coronabant, quod partum facilem præſtaret, vt Euphorion docuit. Sed longiùs fortaſſe prouectus ſum, quàm oportuerit. Ad muralem coronam iam deflectamus. Cur Dianæ turrita corona? cum peculiare potius coronamentum Magnæ Matris, aut Cybeles, vel Deæ Syriæ apud vetuſtiſſimos ſcriptores habeatur. At ſi quis penitus Dearum prædictarum attributa, & cæremonias perpenderit vnum idemq; numen facile deprehendet. Idipſum autem ex vetuſtiſſimorum ſcriptorum placitis oſtendere aggrediar: & eò quidem lubentiùs, vt omnia ſymbola in Statua noſtra expreſſa faciliùs eluceſcant. Rheam in primis à Cerere haud eſſe diuerſam non eſt dubitandi locus, quam Latini Opim vt monuit Athenagoras in Orat. pro Chriſtianis vocitant, quòd ipſius auxilio vita conſtet: vel vt Fulgentio placet, quòd eſurientibus opem ferat. Hanc poetæ priſci Deûm Matrem, & Magnam Matrem nominarunt: quòd non homines modò, ſed omnia è terra proueniant. Quare Porphyrius Rheam, & Cererem, pro Terra capi voluit. Notus eſt Orphei hymnus in Rheam, qui eam cunctorum matrem, & mundi medium tenere memorat. Cererem verò terram ab antiquis creditam, cùm multis rationibus, tùm ex ipſius nomine ſatis conſtat. Quid enim eſt aliud Græcis Δημήτηρ, quam Γημήτηρ? Ab ipſa alimentorum largitione Platoni in Cratylo Δημήτηρ quaſi διδοῦσα μήτηρ vocatur, tanquam *exhibens mater*. Hùc referas liquet, illa quæ Arnobius lib: 3. ex Gentilium fabulis exarata reliquit. *Terram quidam* (inquit) *è vobis, quòd cunctis ſufficiat animantibus victum, matrem dixerunt eſſe magnam; eandem hanc alij, quòd ſalutarium ſeminum frugem gerat, Cererem eſſe pronunciarunt*. Quibus ſtatuam hanc noſtram quodammodò depingere videtur. Hæc nempè ex mamillis penſilibus cunctis animantibus, quæ totum eius corpus ambiunt, alimentum porrigere, & ante pe-

ætus immenſam frugum, fructuumque copiam gerere conſpicitur. Quocirca à gerendis frugibus Cicero de Nat. Deor. lib. 3. Cererem tanquam Gererem prima litera immutata dictam autumat. Ac veluti Ceres omnium bonorum largitrix, diſpenſatrixque credebatur, quod munus etiam Rheæ competere à nonnullis traditum eſt. Hanc ob cauſam illi vitigineum ſimulacrum tanquam cibi potuſque largitrici Dædala ſacrauit antiquitas Euphorione teſte. Cererem præterea à Cybele non eſſe alienam docent inprimis harum cognati, germanique ſacrorum ritus, Cereri, enim perinde ac Cybele tympana, & cymbala aderant, quorum ſonitu Ceres in filiæ inquiſitione primùm vſa eſt. Cybele porrò curru vehi, & rotis ſuſtineri credebatur: quia mundus rotatur, & volubilis eſt, & hæc ipſa terra eò quòd pendeat in ære dicebatur vt Seruius docet. Ceres denique, & Iſis propter Sororiam frugum inuentionem, æquè ambabus attributam, vnum idemque numen conſtituunt. Triticum enim ab Iſide primùm cum hordeo hominibus commoſtratum ſcribunt Diodorus lib. 1. & Martianus Capella. Et ideò in ipſius pompa triticum, & hordeum præferebant, vt ab ipſa repertas fruges teſtarentur. Herodoto Iſis eadem eſt quæ Δημήτηρ. Cui Cedrenus lib. 2. adſtipulatur: à quibus Diodorus paulòante memoratus non abludit, dum Cererem cum Iſide, quæ ipſiſſima eſt cum Luna coniungit. Vnde ex primogenio tàm Aegyptiorum, quàm Græcorum inſtituto, æque ambabus boues abſcripti fuerunt. Cæterùm vt obſcuritatis depulſetur offenſa Martianus iterum Capella nobis adeundus erit, quem de Lunari orbe verba facientem ſic audiamus. *In eo Siſtra Niliaca, Eleuſinaque lampas, arcuſque Dictynæ, tympanaque Cybeles.* Ex quibus obſeruare eſt, Iſidis, Cereris, Dianæ, & Cybeles attributa Lunæ etiam adſcribi. Confer cum his Luciani Deam Syriam, & Apuleianam Iſim, quæ minime diuerſa numina fuerunt, quamuis varijs nominibus celebrarentur. Dianam demum in Luna cultam nemo neſcit, niſi qui vetuſtiſſimos mythologos non legerit. Hecate porro Diana, Luna, & Proſerpina à Feſto, & Diodoro Siculo pro vno eodemque numine accipiuntur. Exinde Diana triformis fingebatur, in quam extat Horatij verſus.

Ter vocat audis, adimiſque letho diua triformis.

Concordem hanc germanitatem etiam adnotat Virgilius.

Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ.

Magna autem illa, quam nos hìc cogitamus Epheſiorum Diana, Naturę, ſeu vniuerſi, & materiæ primæ vires, poteſtatemque ſibi vendicat: cuius inſignia, & ornamenta, ſi attente ſpectes, idipſum deprehendes. Quanta verò cognatio Dianæ Epheſiæ cum Iſide interſit, vel hinc colligere eſt, quòd illa Diuo Hieronymo teſte ſuperius laudato, apud Epheſios Naturæ typum referebat. Hæc verò apud Aegyptios nihil aliud quam ipſummet Naturæ

numen

numen loquebatur, prout Macrobius Saturn. lib. 7. cap. 21. & Apuleius Metam. 6. Aegyptiorum monumentorum peritiſſimi enunciant. Poſſent hic ſexcentæ auctoritates cogi ad firmandum, immenſam hanc Dearum turbam ad vnicum Lunæ ſiue Dianæ numen à priſcis mythologis fuiſſe redactam. Sed cùm res notior ſit, quàm vt de ea prolixior ſermo habeatur, ad inſtitutum redeamus. Et coronam hanc turritam, quæ priùs Magnæ Matris, Cybeles, aut Deæ Syriæ peculiaris eſſe videbatur, Dianæ etiam noſtræ competere oſtendamus. Ac huius quidem meminit Halicarnaſſeus, dum caniſtrophorarum capita corollis ornari velut Dianæ Epheſiæ ſimulacra perhibet. Quàm verò decenter Naturæ hæc muralis corona tribueretur, cauſa in promptu eſt: quoniam rerum humanarum regina, incolendarumque vrbium rationes edocuiſſe credebatur; corona quippe pro muris vrbium vſurpatur: muri etenim tanquam vrbium coronæ ſunt. Hæc de corona ſatis ſuperque dicta. Iam ad velum explicandum orationem conuertamus.

VELO DIANÆ NOX INDICATVR.

VElo denſas noctis opacæ tenebras, quibus aër circumfunditur, adumbrari peruium eſt. Hunc autem Dianæ velandi ritum non apud Epheſios modò, verùm etiam apud Aegienſes receptum fuiſſe à Pauſania in Achaicis edocemur. *Habent Aegienſes vetuſtum Lucinæ fanum: Deæ ligneum ſignum à vertice ad calcem velatum, præter eos tamen, ſummas manus, & pedes. Sunt verò quæ, non tanguntur partes è marmore pentelico. Alteram manum porrigit, altera facem præfert.* Atqui Lucina à Diana non eſt aliena: faces certe vtrique fuere communes. Et Diana ipſa, ſeu mauis Luna, lumine ſuo ac ſplendore tanquam face ardenti, opaca & caliginoſa conſpicua lucidaque reddit. Huius quoque rei gratia quòd noctu, & in tenebris luceat, & incedat, Noctiluca, & Noctiuaga vocitata. Meritò igitur velum, tanquam obſcuritatis à ſe depulſæ indicium à tergo demiſſum finxerunt. Ex quo Theologiæ fonte Apuleius in illa luculenta, & accurata Lunæ ſiue Iſidis deſcriptione pallam ei nigerrimam aſſignare non dubitauit. Velum præterea modeſtiæ, ac pudoris virginalis ſignum eſſe in confeſſo eſt. Vnde hoc etiam nomine Dianæ tribuendum.

CERVORVM COMITATV DIANA

Gaudet.

CEruos Dianę obſequio ceu miniſtros,&(vti ſic dicam)pediſſequos ſemper fuiſſe addictos vulgatiſſimum eſt. Inde eſt quòd peculiari elogio ἐλαφηβόλος *Cermiaculatrix* à Græcis dicebatur. Inde etiã eſt quòd inter animalia, quæ ſignum Dianæ exornant, bini cerui Deæ caput circumſtant: idque meritò, cùm reliqua quadrupedum genera pernicitate ſuperent, adeò vt illi Mythologi velocem Lunæ curſum innuere volentes Ceruos pro ſymbolo elegerint. Luna equidem tantæ celeritatis eſt, vt ſpatio viginti ſeptẽ dierum horarumq; octo totum permeet ſigniferum, quem Sol annuo tantùm temporis curriculo perluſtrat. Quo minùs mirum ſit Dianam cerui effigie deſignatam. Equidem vetus extat Pub. Licinij Gallieni nummus, in quo cerua eſt cum hac epigraphe DIANAE CONSERVATRICI. In alio item numiſmate æneo ab ipſis Epheſijs in honorem Commodi Imp. cuſo bigæ ceruorum aurigante Diana, & hæ literæ circum impreſſæ ſunt, ARTEMIC EΦECIΩN. Viſitur & alius Marc. Antonini Caracallæ, in quo Dianam duæ ceruæ trahunt. Præterea Callimachus in hymn. & Claudianus de laud. Stil. currui Dianæ ceruos itidem adiungunt. Sed & ob venationis ſtudium, quo tenetur, & cui dominatur Diana, Cerui ſub eius tutela, & præſidio ſunt. Quapropter in veteribus Græcorum nummis Dianam videre eſt venatricis habitu ſuccinctam, ocreatam, pharetra à tergo inſignem, adſtante cerua. In multis verò ipſam videas in ceruos ſagittas eiaculantem: qua profecto de cauſa montes, nemoraque eidem accepta dedicataque fuerunt. Quòd Horatius Od. 22. lib. 3. eximiè demonſtrat.

Montium cuſtos, nemorumque virgo.

Montium autem ac ſyluarum tutricem dictam puto, quòd in montibus cerui, & reliquæ feræ ſtabulentur; vel certè quia noctu incedit, ac ſuo ſplendore confragoſa ac denſa quæquæ loca perluſtret. Quæ Phurnutus reſpiciens Dianam ὀρεσιφοίτιδα *Monticolam* nominauit. Nemoribus præeſſe fingitur ex Fulgentij mente, quòd arboribus, & fructuum ſucco augumenta ingerat. Sin autem alias rationes deſideres, ob quas præſertim ceruus in delitijs Dianæ fuerit, dabo. Rorem (aiunt) Iouis, & Lunæ filium eſſe, idque ex doctrina Poëtæ vetuſtiſſimi inferiùs (cum de Apibus erit ſermo) oſtendam. Conſtat autem, ceruos æſtiuis temporibus ipſoque ſtatim Solis exortu rorem anhelanti ore excipere, atque eo ſe reficere; quod ipſum Phyſici obſeruarunt, & in hieroglyphicis Pierius. Cæterùm cum cerui longiſſimæ ſint vitæ, non malè Lunæ congruunt. Quam pro æternitatis ſym-

bolo

bolo in nummis Fauſtinæ Iunioris expreſſam monuimus. Per quatuor demùm hoſce ceruos iuxta Deæ caput appoſitos, fortè quatuor Lunæ ſeſe mutantis facies deſignari poterunt. Verùm illud coniectando, potiùs, quàm aſſeuerando dictum eſto.

LEONES DIANÆ IN SIMVLACRO cælati conſociatam Solis, & Lunæ potentiam indicant.

LEo quamuis Solis animal Solariſquè naturæ particeps ab omni fermè Mythologorum cœtu perhibeatur; Dianæ tamen, Magnæ Matri, Cybele, Cereri, ac Iſidi adſcriptum fuiſſe vetera monumenta nobis inſinuant. Quarum facturum me operæ pretium puto (cum vetuſtiſſimum ſimulacrum diſcutiendum ſuſceperim) ſi priſca numiſmata ad rem noſtram ſtabiliendam facientia Scriptorum vice proferam. Igitur Magnæ Matris effigies in pulcherrimo æreo nummo Fauſtinæ Antonini Pij filiæ, cum hac epigraphe MATRI DEVM SALVTARI, Leonibus inclyta conſpicitur. Cybelem Leoni inſidentem Septimij Seueri numiſmata referunt apud Adol. Occonem. Eius ſimiliter currum Leones trahunt in nummo Fauſtinæ Iunioris apud Petrum Mareſchal Patritium Biſuntinum. Hæc etiam in quarto denario Volteiæ gentis leonum famulitio gaudet. In nummis Fauſtinæ Iunioris Iſidis Siſtratæ imago cum leone ad pedes exprimitur. Diana demùm in arca illa celebri, quam Cypſelidæ in Olympia dedicarunt, alata inſurgebat, & Leonem ad dextram, pantheram habebat ad ſiniſtram, vt Pauſanias in Eliac. memoriæ prodidit. At verò quid Leonibus cum hiſce Deabus peculiare, & cur illis ſacri fuerint, nobis inquirendum eſt. An ideo Magnæ Matri leones ſolutos & manſuetos adiunxerunt, vt deſignarent nullum eſſe terræ genus tam aſperum atque ferum, quod non ſubigi coliquè poſſit? Sic lego Varroni placuiſſe. An verò etiam vt ſignificarent maternam pietatem omnia ſuperare. An quòd Cybeles cum Dea montana ſit, vehi leonum iugo debuit. An verò currum Cybeles Leones trahere dicuntur, quòd ab ijs nutrita ſit? An quia Cybele, quę & terra eſt, vim gignendi à Sole recipit? Solis verò præcipuum ſymbolum Leo, qui & Cereri ideo forſan adſcriptus fuit, quia hæc menſis Auguſti tutelaris erat, vt in Kalendario antiquo habetur. Dianæ porrò deſtinatum crediderim ob duplicem leonis naturam: eius enim anteriores partes, quia robore ingenti præditæ ſunt, cęleſtia; poſteriores quia debiliores, terreſtia referunt. Quæ cauſę licèt ad confirmationem

ſatis ſint, aliam tamen cauſam ex Arati Phęnom. petere licebit, vbi ex Nigidio refert, Leonem, qui in aſtris locum obtinet, iuſſu Iunonis apud Lunam nutritum, educatumque fuiſſe. Porrò quid cauſæ eſt, cur iſti quatuor Leones humeris ac brachijs Deæ inſident, ſibiquè inuicem reſpondent? Dixerim non grauatè concordem Solis, & Lunæ virtutem in rebus omnibus producendis, ac fouendis per eos ſignificari; oſtendique nexum, quo terrena cæleſtibus coniunguntur; à quibus dum infuſum recipiunt, eadem inter ſe, & cum cælo aptiſſimè cohærent.

CANCER CVR EPHESIÆ DIANÆ Sacer.

INter alias imagines, quibus omne cælum diſtinxit antiquitas, non ignobile eſt Cancri ſignum, cuius figuram è collo Dianæ ſuſpenſam, & in extrema etiam ſimulacri parte appictam intueri licet. Hoc autem compactile teſtaceorum genus multas ob cauſas Dianæ ſiue Lunæ acceptum fuiſſe palàm faciemus. Nam vt ſub Leonis effigie Solem Mythologi cognouerunt, ſic Aegyptij pro Luna Cancrum pingebant. Cauſa eſt, quòd in ipſa genitura mundi Solem cum Leone, Lunam cum Cancro ortam crederent. Ad hæc Cancer cum Lunari ſidere haud pauca communia habet: quippe qui frigidus, humidus, aqueus, nocturnus, & fœmineus ſit. *Quòd eius à fronte protenduntur apices duo rotundi, & acuti firmi admodùm, ſub quibus duo cornua minora articulata*, ſecundum Rondeletij obſeruationem. Eius etiam corpus rotundum & compactum à Lunari ſidere haud multum aberrat, præſertim dum chelas expandit: tunc enim Lunæ corniculantis figuram quodammodo referre videtur. Nec vltimum decus Lunę cornua, cui omne genus animantum cornigerum ſacrauit antiquitas, ob corniculatum globum. Cornua etiam inter prȩcipua Iſidis ſymbola ſunt: eiquè abiectiſſima inſecta conſecrata, vt illud Scarabęorum ſecundum genus, quod bicorne eſt. Præterea vt Luna ob velocem curſum incedere videtur; ſic Cancer ferè ſolus è cruſtaceorum genere non natat, ſed incedit. Ita Ariſtot. Hiſt. Anim. 1. cap. 1. *Cancri quamquàm aquatiles, tamen greſſiles ſunt, tranſuerſoque latere procedunt*. Accedit quòd inter venatores annumerantur Cancri: ſub Dianę verò tutela omnes venatores fuere. Sed hoc prȩcipuè ad rem facit (quod rerum naturalium ſcrutatores obſeruarunt) Cancros vim Lunę ſentire; ea creſcente pleniores & probatioris ſaporis fieri; decreſcente verò, minui: ſicut & alia conchylia, vt canit Manilius Aſtronom.

Ad Lunæ motum variant animalia corpus.

Lon-

Longęuum eſt etiam animal: & quemadmodum Luna reuiuiſcere videtur, ità Cancer cruſta, ſeù tegumento ſe exuit, & ſtatim reuireſcit; quòd eſt à Phyſicis animaduerſum. Cancri præterea ad nocturni luminis ſplendorem accurrunt, & noctu vt plurimum paſci ſolent. Quæ profecto ſatis euincunt, Cancris multiplicem ineſſe cum Lunari ſidere conſenſionem; nec ſine mente, conſilioque illi fuiſſe adſignatos. Haud tamen omittendum duxerim, quod Golzius nullo citato auctore refert, Cancrum apud myſtas prudentiam denotaſſe, & hanc ob cauſam è collo Dianæ Epheſiæ ſuſpenſum. Idem apud Platonicos hominis ortum viamque deſignat: volunt enim animas per Cancri ianuam in humana corpora dimitti: & veluti Capricornum Deorum, ſic Cancrum hominum portam vocant, quòd per eam egredientes animæ humanum in corpus tranſeant. Et hęc ad noſtrum emblema aptari poſſunt ſecundum Phyſiologos, qui Lunare lumen naturæ generationi, ac vitę præeſſe volunt. Iſtud etiam hìc attexatur. Apud Brutios peculiari & inſigni coronamento Dianę caput Cancri teſta ornatum, vt ex eorum nummis palàm eſt. Antonini Pij numiſma ab Aegyptijs ſignatum in auerſa parte expreſſum Cancrum habet chelas expandentem, & falcatam Lunæ ſectiunculam apprehendentem. Eodem planè ſchemate, & pari ſymbolo Cancer ſculptus eſt in veteri gemma, quæ in Pinacotheca Eminentiſſimi Cardinalis à Balneo adſeruatur. Verùm iſta de Cancro ſufficiant. Vocant nos ad ſe binę Victoriæ Dianam corollis & palmis inſignientes: earum igitur explanationem aggrediamur.

VICTORIÆ BINÆ DIANAM Epheſiam cur corollis, & palmis inſigniunt.

BInæ Victoriolę Deę pectus exornantes nos ſollicitant, vt è ſanctioribus Epheſiorum promptuarijs cauſas repetamus, ob quas præſertim Dianæ Epheſiæ Victorię tribuerentur. Etenim non ſine myſterio id ab Epheſijs pręſtitum. Hoc enim argumento cuncta ſubmitti Lunę poteſtati innuebant. Vel certè corollas memoriam eſſe beneficiorum à Natura ſiue Cerere generi humano collatorum volebant. Expreſſę verò ſunt alis paſſis, cum corollis & palmis, qui ſolitus eſt Victoriarum habitus, vt liquet ex Claudiano de Laud. Stil.

Illa duci ſacras victori panderet alas,
Et palma viridi gaudens.

Victorię igitur imagines adeò gratæ, acceptęque fuerunt Dianæ Epheſię,

vt

vt non modò eas ad pectus decorandum admiſerit, verùm etiam ab his coronari exoptarit; vt fidem facit Gordiani Pij æreus nummus ab ipſiſmet Epheſijs ſignatus, in quo Polymamma Diana viſitur, dextra ſcipionem prę ferens, quæ è binis Victoriolis vtrinque volitantibus coronatur: ante ipſam verò muliebris figura eſt cornu copię geſtans. Singularis hìc ęreus nummus cum infinitis propemodùm alijs in Muſęo Eminentiſſimi Cardinalis Franciſci Barberini aſſeruatur. Inter præcipua Victorię argumenta palma ſurgit, quę rectè Cereri tribuitur: cum per palmam iuſtitiam deſignari palam ſit: eò quòd fructus reddat pari cùm folijs ęquilibrio: id quod Pierius Valer. obſeruauit. Hanc autem legum inuentricem eſſe liquet vel ex Virgilio Aeneid. 4.

mactant lectas de more bidentes
Legiferæ Cereri, Phœboque, Patrique Lyæo.

Palmam prę terea ad alia numina ſub noſtro ſimulacro contenta non inuitus traham. Et hanc arborem inprimis ipſamet Luna tanquam propriam facilè ſibi vindicabit: cùm palmam hoc peculiare cum Luna habere rerum naturalium ſcrutatores obſeruarint, vt ſola omnium arborum per ortus Lunæ ſingulos progeneret. Lunam item vitæ humanæ præeſſe ex myſtis præmonui: atqui palma pro ipſiuſmet vitæ ſymbolo ab Orpheo commendatur: nec ineptè quidem, cum hæc arbor trecenta ſexaginta commoda mortalibus elargiri feratur: quod optimè nouerant Babylonij, qui ſuis in hymnis huiuſce arboris proprietates decantare ſolebant. Iam ſi ramorum eius naturam attentiùs perſcrutemur, illis cum terra peculiare quid ineſſe deprehendemus. Hi etenim quò maiori pondere grauantur, eò plùs in altum feruntur, ſurguntque aduersùm pondus, vt Ariſtot. VII. Problem. & Plutar. VII. Sympoſ. referunt: pari etiam ratione, quò plus tellus ſulco premitur, eò vberiorem frugum copiam agricolis ſuppeditat. Cæterùm cum Iſim in Dianæ noſtro ſimulacro reperiri non ſemel inculcarim, huic etiam palmæ appictæ quadrare poſſunt. Nam Iſidi ex recondita hierophantum doctrina calceamenta ex folijs huiuſce arboris intexta, Apuleio locupletiſſimo teſte, probantur: *pedes* (inquit) *ambroſios tegebant ſoleæ palmæ victricis folijs intextæ*. Et præterea in ſolemni eius pompa, is qui tertius incedebat, palmam auro ſubtiliter foliatam attollebat. Hæc de palmis dicenda habui.

ENCAR-

ENCARPVS E COLLO DIANAE,

dependens cur è varijs fructibus.

TErra cùm non hominum ſolummodò animaliumquè benigna ſit parens, verùm etiam omnium frugum fructuumquè productrix, appoſitè propterea Epheſij encarpum, ſeù iugamentum lemniſcatum ex varijs florum fructuumque generibus confectum è collo Dianæ dependere finxerunt, vtpotè cùm hominibus ea ſuppeditarit, ac diſpertierit, quibus veſci queunt. Inter præcipuos verò fructus, ex quibus ſertum compoſitum eſſe videtur, poma & papauera emicant, & illa quidem conuenienter, quia ob rotunditatem terræ figuram referunt. Hæc autem multiplicem ob cauſam Dianæ, ſeù mauis Cereri accepta, oblataque fuerunt. Papauer in primis apud omnes ſcriptores pro fertilitatis ſymbolo habetur: vnde & Ouid. lib. 2. Metam.

Antes fores antri fęcunda papauera florent.

Huius etiam fructus telluris imaginem exprimere videretur, nam inæqualitas illa, ſeù turbinatum Papaueris corpus valles & confragoſa montium ramenta denotat. Interna verò hominibus, & ſubditis aſſimilantur, vti Pharnutus retulit. Poterit & legiferæ Cereri attribui propter illa receptacula æquis interuallis inter ſe diſtincta. Callimachus in hymno ad Cererem papauer ei aſſignat. Apud Clementem Alexandrinum inter præcipua dona, quæ Cereri offerebantur, papauer recenſetur. Quam fortè ob cauſam Virgilius papauer Cereale tanquam Cereris donum exoptatiſſimum prædicarit.

Nec non & lini ſegetem, & Cereale papauer
Tempus humo tegere.

Ob vim autem ſomniferam rectè Lunæ nocturnoque tempori conueniet: vnde & illi apud ſcriptores ſomniferi ceſſit appellatio. Apud Ouidium nox cum papauerea corona depingitur: hoc enim tempore ſomnus propter humectationem potiſſimùm vires ſuas exercet. Reliquæ verò florum fructuumque figuræ, quas aſſequi facile non eſt, nihil aliud quàm omnis generis frugum copiam deſignare videntur, quam terra ſeminibus grauidata parit, funditque liberaliter: flos etenim in plantis frugem paulò poſt ſuccreſcentem pollicetur. Dianæ etiam fructus grati acceptique fuerunt, vt Pauſanias in Achaic. teſtatum reliquit. Apud Patrenſes enim Dianæ Laphriæ ſacra facientes pomiferarum cuiuſuis generis arborum fructus offerre ſolemne habebant. Non mirum igitur, ſi encarpus collo Dianæ appenſus varijs fructibus & floribus adornetur. Verùm ne hic contextus incompoſi-

positus dilabatur, vitta seù fascia tenui astringitur : vt per vittam obliquus flexuosusque Lunæ cursus intelligeretur.

GLANDES INDICES PRIMI CIBI dum terra mansit inculta.

ENcarpi extrema querneæ glandes tanquam elenchi coronant, quæ Cereris beneficia satis superque arguunt : cum in primis rerum incunabulis hoc fructuum genus mortalibus alimenta præbuerit ; sed Cereris beneficio in meliora, & mitiora commutata fuerunt. Quod apertè declarat Ouidius in Fastis :

Prima Ceres homine ad meliora alimenta vocato
Mutauit glandes vtiliore cibo.

Quò facit & illud Virgilij Georgicorum initio :

Liber, & alma Ceres, vestro si munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutauit arista.

Antiquitùs agricolis in more positum fuit, vt quotiescumque Cereri rem diuinam facerent (faciebant autem, dum spicæ frugem emittere cęperant) querneis coronis vterentur. Cuius generis coronamenti meminit Athenæus lib.xv. Eundem feriunt scopum Maroniani versus Georg. lib. 1.

Falcem maturis quisquam supponat aristis,
Quam Cereri tota redimitus tempora quercu
Det motus incompositos, & carmina dicat.

Non possum autem hic silentio præterire grauissima illa verba, quæ in inuocatione Apuleiana ad Lunam habentur : *Regina cęli, siuè tu Ceres alma frugum parens originalis, quæ repertu lætata filiæ, vetustæ glandis remoto pabulo, miti commonstrato cibo nunc Eleusinam glebam percolis.* Postquàm verò huiusce Deæ beneficio terra nouis frumenti seminibus locupletata luxuriauit, glans contemni cœpta est : taleque fuit mortalium in glandiferas quercus odium, vt inde natum sit illud, ἄλις δρυὸς *Satis quercus*. Et hæc fortè fuit ratio, cur querneas glandes huic encarpo tanquam in Deæ trophęo protomystæ suspenderint. Sed & Hecate, quæ à Luna non abludit, corona è quercu plexa decorari gaudebat, sicut Aeschylus declarat. Addamus insuper, quòd glandes appictæ Naturæ prouidentiam adumbrent : siquidem glandiferæ quercus primis hominibus alimenta subministrarunt. Ad hoc igitur Naturæ beneficium alludere volentes alium fructum glandibus associarunt, quem, vt ex eius figura orbiculari & oblonga apparet, dactylum esse autumo ; neque præter rationem, cùm paulò ante palmam Cereris delitijs adiudicatam fuisse dixerimus ; cuius fructus tanta-

est

est facultas, vt præterquàm quòd in esu sit suauissimus, ex eo etiàm vina, & panem conficiant Orientales, & quadrupedibus edendum præbeant.

MAMMÆ NVTRITIONIS SIVE alimentorum symbola.

AEgyptiorum Theologia, Lunam matrem mundi, à Sole grauidatam fœcunda generationis principia diffundere superstitiosè credidit, vt in libros Aristotelis περὶ ἑρμηνείας scribit Ammonius. Ab hoc disciplinæ fonte illos suam Isim efformasse reor: & fors inde factum vt hinc τιθήνη & πανδεχής, ex Platone apud Plutarchum lib. 1. de Iside & Osiride existimetur: quòd sit scilicet nutrix, & susceptrix generis humani. Proindè non mirum si frequentèr eius imago pensilibus, & prominentibus mammis conspicua in priscis monumentis repræsentetur. Etiam apud Macrobium continuatis vberibus depingi paulò ante diximus. Ad Aegyptiorum imitationem Ephesij simulacrum Deæ Naturæ Polymammæ cum infinito scilicet vberum numero composuerunt. Cuiusmodi à Diuo Hieronymo, & Minucio Felice in Octauio depictam fuisse superiùs indicauimus. Apud Arnobium Cererem cum grandibus mammis efformatam intueri licet: idemque paucis lineis interiectis huic mammas item promptas adscribit. Pausanias in Messen. Dianæ nutricis, quæ παιδοτρόφος indigitabatur, mentionem facit. Et apud eundem in Attic. legere est, Athenienses delubrum Telluri puerorum nutrici exædificasse. Apud Aristophanem verò hęc puerorum altrix etiam vocitatur. Lucretius paritèr Cererem mammosam facit hoc versu:

At gemina & mammosa, Ceres est ipsa ab Iaccho.

Geminam dixit acsi opimam & amplam innuere voluisset. Ex adductis nemo non videt, Isidi apud Aegyptios, & Macrobium; Dianæ apud Ephesios, & Messenios; Telluri apud Athenienses; Cereri apud Lucretium & Arnobium, nutricis seù mammosæ elogium æquè fuisse attributum: nec ab harum consortio Rhea eliminanda erit, cùm & ipsa matris titulo gaudeat. Conspirare autem hæc omnia videntur, vt hasce omnes Deas sub vnico Dianæ nostræ simulacro copulatas firma probatione retinere possimus. Atqui non indecenter Diana, seù mauis Ceres Polymamma à priscis illis mythologis efficta, quàm superiùs Δήμητραν dictam ὡς δὴ μητέρα οὖσαν ex vetustissimis scriptoribus protulimus: quòd vtiquè mater altrixquè sit omnium, quæ in ea vitam degunt. Alij γενητείραν dicunt, quòd omnia pariat, & recipiat. Sed & à Virgilio alma dicitur, ab alendo nimirum, vt Seruius interpretatur: benignis enim Telluris Lunęquè viribus alimenta

 præci-

præcipuè deberi veteres agnoſcebant. Huius autem ſingularia beneficia Columella lib. 3. cap. 22. decantat his verbis. *Quibus alma Tellus annua vice, velut æterno quodam puerperio læta mortalibus diſtenta muſto dimittit vbera*: Cæterum hæc noſtra multimammia genuinus eſt prouidentiſſimæ Naturæ typus. Apud priſcos enim papillæ rotundæ atque prominentes fœcunditatis erant indicia: & hoc præſertim hieroglyphico Aegyptij ad Isidis, ſeu Cereris fœcunditatem, ac rerum omnium affluentiam deſignandam vſos fuiſſe Apuleius auctor eſt. Nam veluti lac profuſum ex vberibus ſaginat fœtus, ità etiàm è gremio telluris fruges productæ mitia alimenta mortalibus præbent. Proindè non inconſultè inter alia fercula, quæ in pompa Iſiaca à ſacris Aegyptiorum antiſtibus præferebantur, vaſculum papillæ ſimile ab Apuleio recenſetur. Luna quippe partubus præeſſe creditur, quia illius ope, propter vim propriam humoris, fœtus adiuuatur, & in vtero intumeſcit. Per innumeras demùm mammas Naturæ deſcriptas infinitum non hominum ſolummodo, verùm etiàm animantium, nec non vegetabilium numerum, quæ inſimul alit, adumbrare haud dubiè voluerunt. Cum videlicèt penè totum Deæ corpus varijs animalium figuris refertum, & diuerſis fructuum generibus inſignitum repræſentetur. Sed & Plutarchum audiamus referentem, quòd Lunare lumen generandi, atquè humectandi vim habeat; ac tam animalium fœtibus, quàm plantarum pullulationibus conducat. Vnde Apuleio ſæpiùs laudato Luna, ſiue Ceres omniparens, quaſi omnia pariens & gignens dicitur. Nec verò ab hac ſemita diſcedit Mantuanus poëta, dum dixit.

Nec non & Tityon terræ omniparentis alumnum.
Cernere erat.

Enimuerò cùm omnia ab ea alantur, perinde atquè à nutrice & matre, ſignanter maternum nomen illi inditum eſt. Quò etiàm epitheto Luna ab Orpheo cohoneſtatur, apud quem modò φερέκαρπος, modò πλεσφόρος indigetatur. Addi, ſi graue non eſt, inſignem Lucretij lib. 2. ad hanc rem locum.

Deniquè cœleſti ſumus omnes ſemine oriundi:
Omnibus ille idem pater eſt. vnde alma liquentis
Humorum guttas mater cùm terra recepit,
Fœta parit nitidas fruges, arbuſtaquè læta,
Et genus humanum: parit omnia ſecla ferarum
Pabula cum præbet, quibus omnes corpora paſcunt.
Et dulcem ducunt vitam, prolemquè propagant:
Quapropter meritò maternum nomen adepta eſt.

Luculentèr hoc identidem præfatus poëta & Philoſophus oſtendit alibi, ad quem lectorem remitto. Firmicus Maternus Mathem lib. 3. omnem ſubſtan-

ſtantiam humani corporis ad poteſtatem lunaris luminis pertinere auctor eſt. Idemquè lib. 4. Lunam humanorum corporum matrem ſcienter appellat. Luna etiam, eodem referente, terræ imperium ex vicinitate ſortita, omnium animantium corpora & concepta procreat, & generata diſſoluit. Diuus autem Auguſtinus de Ciuit. Dei lib. 7. Tellurem dici matrem aſſerit, quia pluſima pariat; magnam, quia cibum cunctis ſubminiſtret. Quæ omnia ambarum manuum porrectione iterum indicantur: liberalitas enim paſſis manibus olim figurabatur, vt ſcribit Diodorus Siculus lib. 4. Et has quidem ambas nobis porrigit, vt nos continuis beneficijs impleat, & iuuet in aduerſis. Verùm his obiter allatis ad alia emblemata, quibus reliquum Dianæ corpus ſtipatur, deflectere libet. Statuæ vmbilicum tres cerui occupant, de quibus cum abundè ſupra dictum, Sphinges explicandas ſuſcipiemus.

SPHINGES.

VTrumque Deæ latus duæ Sphinges muniunt, quæ ab Auſoniana deſcriptione non diſcrepant: iuuat autem ipſummet vatem audire in ternario numero.

Terruit Aeniam volucris, leo, virgo triformis
Sphinx, volucris pennis, pedibus fera, fronte puella.

Inter vetuſtiſſimos verò ſcriptores non defuerunt, qui caudam draconis illi adiunxerint: ſed in illa non morabor: conſule ſi lubet Herodotum, Aelianum, Plutarchum, Solinum, Diodorum, Plinium, Clementem Alexandrinum, & Palæphatum, qui caninum etiam illi caput aſſignant. Potes præterea genuinam eius effigiem ex infinitis propemodùm monumentis antiquis obſeruare. Hoc dicam, Sphingem Aegyptium fuiſſe inuentum, quam ex virgine, atquè leone compoſitam finxerunt: hac præſertim ratione ducti, quòd Quintili & Sextili menſibus, ſub quorum tutela Leo & Virgo ſunt, Nilus exuberet, vt Bellonius obſeruauit. Apud Aegyptios item conſtans fama eſt, Sphinges præ foribus ædium ſacrarum Iſidis & Oſiridis tanquam ſilentij, taciturnitatis, ac prudentiæ ſymbola fuiſſe collocatas, vt Syneſius orat. de prouid. memorat: quibus ſignis templa Deorum adeuntes, vt tacitè vota facerent, monebantur, nec arcana numinum diuulgarent, ſed myſteria ſub his latitare præſentirent. Hanc autem Aegyptiorum doctrinam ad Epheſios tranſijſſe ex germana Iſidis, & Cereris cognatione autumare licet. Nam ſicut Sphinx Memphitica, ſacra ceremoniaſque ſecluſas eſſe, & ſilentio tegi oportere innuebat; ſic non abſimili ratione Cereris initia occultanda, obſignandaquè eſſe apud Epheſios figura

Sphingis Dianæ ſimulacro inſculpta præmonebat. Quæ vt credibilia habeam, impellunt me tacita illa & operata Cereris apud omnes ferme gentes initia, & ſacra: quæ nulla re magis quàm ſilentio conſtare Iuſtinus memorat. Ad quæ alludens Apuleius ſcribit: *Cætera, quæ ſilentio tegit Eleuſis Atticæ ſacrarium*. Porrò myſteria Eleuſina dicebantur, quod apud Eleuſinos primùm inuenta fuiſſent, in quibus ſilentij fides adhibenda erat. Μυσήρια, etenim vt Suidas interpretatur, ἀπὸ τῦ μύειν τὸ στόμα dicebantur, ab ore videlicet claudendo: quòd deceat eos, qui audiunt diuinas cęremonias, os obturare, nec vlli mortalium enunciare, ne oculis profanorum obuiæ polluantur. Initiationes etiam hæc Cereris myſteria dicebantur, vt Arnobius obſeruauit: quia ſemper profanos arcebant, vt arbitris carerent. Omni exceptione maius erit hoc Horatij lib. 3. Car. ſuper hac re teſtimonium.

Vetabo qui Cereris ſacrum
Vulgati arcanæ, ſub ijſdem
Sit trabibus, fragilemquè mecum
Soluat faſelum.

Ad cuius etiam mentem Tibullus canit.

Non ego tentaui nulli temeranda Deorum
Audax laudandæ ſacra docere Deæ.

Verùm ſi in ſacris Cereris hæc religioſi arcani obſeruatio tenebatur, Cybeleia ſacra non minori cultu, aut ſilentio peragebantur. Quò ſpectant illa vatis,

hinc fida ſilentia ſacris.

Cùm autèm nocturno tempore altum ſit vbiquè ſilentium, hac de cauſa Cereri, ac Cybeli noctu ſacra celebrabantur. Quanquàm iuxtà M. Varronis, & Diui Auguſtini ſententiam multa in Cerealibus myſterijs tradebantur ad fruges maximè pertinentia, quæ omnia peculiari taciturnitate obſignanda erant. Apuleius item Eleuſina myſteria, lætificas meſſium cæremonias appellat. Sphinges porrò ex humano ferinoquè corpore conſtabant: facie plerumque muliebri, nonnumquam etiam viriti; quæ Androſphinges Herodoto dictæ. Quò ſymbolo non ineptè declaratur, Cereris beneficio ferinam illam & agreſtem mortalium priſci æui barbariem in humaniorem, & vrbaniorem vitam commutatam fuiſſe. Nam Ceres præterquàm quòd frumentum inuenit, eius etiam ſubigendi rationem edocuit; & leges dedit, quibus iuſtitiam colere mortales didicerunt: his autem beneficijs nulla maiora reperiri poſſunt. Vnde non ſine cauſa ab Ouidio dictum eſt;

Prima dedit leges, Cereris ſunt omnia munus.

Sed & alia ratio de huiuſce animalis ſymbolo hìc expreſſo ſubeſſe poterit, ſi di-

ſi diligentiùs priſcorum monumenta perpendantur. Aenigmata quippè & res abſtruſas Sphinge deſignari nemo neſcit. Naturæ autem arcana in tenebris iacere; obliquas aſperaſquè ſemitas eſſe, quæ mortales ad rerum naturalium intelligentiam introducunt, quis ignorat? Certè non oportet nos craſſa pinguiquè Minerua abditas rerum cauſas naturæquè myſteria inquirere: Sed temporis diuturnitate ſubtilioriquè indagine opus eſt, vt quantulamcumque cognitionem referamus. Iam Sphingis ſymbola Gryphes excipiant.

GRYPHES, DRACONES, ALIÆQVE Feræ.

GRyphem fictitium animal eſſe notum eſt, ideoquè in eius deſcriptione variant auctores. Pleriquè ex Aquila & Leone compoſitum volunt: Ariſtæus Proconneſius apud Pauſaniam incuruum illi roſtrum aquilarum more, auritumquè caput adſcribit. Quin & Gryphem Aegyptium fuiſſe commentum vetuſtiſſima illa ænea Bembi tabula docet. In ea nempè gryphes multis varijſquè formis cælati apparent: quod indicium eſt, hoc animalis genus Iſidi gratum acceptumquè fuiſſe. Quare non mirum, ſi Dianæ Epheſiæ attributi etiàm fuerint. Quamuis non deſunt qui inter peculiaria Solis ſymbola reponant: ob igneam præcipuè vim, qua præditum eſſe memorant: vt non inconcinnè etiam Lunæ, quæ Solis ſoror & coniux perhibetur, tribuantur, ſcilicet ob frequentem eius cum Sole coniuctionem, & à quò ignea fit. Iterum ſi ex Aquila & Leone gryphes compoſiti, Aquila rectè ad Solem, Leonis verò pars poſterior (quòd & Macrobius annotauit) quia imbecillior, ad Lunare ſidus referri poterit. Sic igitur ſub hoc figmento vtriuſque ſideris ſocias vires, & effectus in omnibus rebus procreandis fouendiſquè Epheſios prænotaſſe autumarim. Adhæc gryphes ob eximiam pernicitatem Lunæ competere videntur: quòd & de velociſſimis alijs feris paulò ante referebamus. Poſt gryphes myſtica ſunt aliarum ferarum ſymbola, quæ Pantheras, vel leopardos, aut Tigres referre videntur; ſed ob ſimilitudinem quarumnam potiſſimùm ſint, arduum eſt dignoſcere: ideò his non immorabor, ſed ad notiora pedem referam; præſertim cum in his nihil aliud quàm velocem lunæ curſum deſignari putem.

DRACONES.

SAcrorum Ephesiorum præsides multa (vt præfati sumus) ab Aegyptijs mutuati, non mystico tantummodo Sphingis symbolo, verum etiàm alijs primarium ciuitatis numen cohonestare volentes, geminos Dracones antiquissimo eius simulacro adiunxerunt. Nequè hoc sine recondito aliquo sensu factitatum crediderim: cùm inter cætera animantium genera, quæ summo in honore apud Aegyptios olim fuerunt. Dracones siuè Serpentes enumerentur; quorum effigies in Isiaca Bembi tabula non semel appictæ conspiciuntur. Ac ne priscorum vatum subsidio carere videamus, Ouidium dabimus, qui serpentem in pompa Isidis describit:

Plenaquè somniferis serpens peregrina venenis.

Iuuenalis Sat. 6. etiam serpentes simulacro Isidis comitem inducit hoc versu:

Et mouisse caput visa est argentea serpens.

Tanta autem fuit apud priscos veneratione serpens, vt inter præcipua gentium mysteria decantaretur. Idipsum luculentèr Clemens Alexandrinus, Iulius Firmicus, & Iustinus Mart. ostendunt. Nec defuere, qui serpentibus diuinitatem inesse dixerint: in quorum numero Taautes apud Eusebium, idquè ex Phœnicum Theologia. Quare cum ad Græcos eadem religio, vel potiùs superstitio translata fuerit, Ceres potissimùm serpentes elegit. Omninò Apuleiana Ceres draconum in pinnato curru conspicua incedere fingitur. Orpheus verò in hymnis Cererem in curru, Draconesque eam trahentes describit: quod splendidè Ouidius Fast. lib. 4. expressit, dum Cereris ex Sicilia profectionem describit.

Quò simul ac venit, frænatos curribus angues
Iunxit, & æquoreas sicca pererrat aquas.

Tale quoquè est illud prælaudati vatis, dum Deam Celei Menolinæ hospitium deferentem recenset:

Dixit, & ingrediens nubem trahit, inquè dracones
Transit, & alifero tollitur axe Ceres.

Non pauca marmorea monumenta eodem planè schemate, quo hìc depingitur, Cererem afflictam referunt: causam verò huiusce figmenti inquirere conducit. Draconis symbolo terram significari credidere multi, quòd eam toto corpore penè perrepens verrere videatur. Sed quoniam non Cereris modò numen, verùm etiàm Dianæ, sub hac statua agnoscebatur, Diana ipsamet adeunda erit, vt rationes ob quas serpentes seu dracones in complexum receperit, inueniamus. Pausanias in Arcad. scripsit, inter alia signa, quæ in Dominæ siuè Heræ fano reponebantur, Dianæ vnum

repo-

repoſitum fuiſſe ceruina pelle velatæ, pendente ex humeris pharetra, altera manu lampadem, Dracones duos altera geſtante. Naturæ numen prudentiſſimum fuiſſe ex veterum elogijs ſuperiùs oſtendimus. Prudentiæ enim ſymbolum Serpens, quem & inſuper ſapientiæ indicem vetuſtas elic voluit. Hunc præterea in delicijs fuiſſe ferunt propter peculiarem illam excubandi vigilandique vim, qua præditus eſt, & ob acutiſſimam oculorum aciem, quæ omnia Lunæ indefeſſæ competunt: ſiquidem ſuo ſplendore noctu cuncta colluſtrat. Per eius inſuper eximiam celeritatem, flexuoſos meatus, lapſuſque erraticos, Lunæ iter ſinuoſum deſignari poteſt. Dracones demùm cornibus è fronte prominentibus inſigniti; & hanc fortaſſis ob cauſam ſub Dianæ tutela admiſſi fuerunt, quia omne cornigerorum genus Luna, vti iam dictum eſt, ſibi vendicat.

B O V E S.

PEculiari quadam religione Boues Cereri, Lunæ, nec non & Iſidi conſecrauit antiquitas. Cereri quidem ob agriculturam, quia ſemina vix abſque à ratione prouenium. Et hoc vnico ſymbolo telluris fœcunditas demonſtratur: huiuſque ſub effigie à nonnullis gentibus, & præſertim à Phrygibus cultam fuiſſe ex priſcis monumentis deprehendimus. Aegyptij quoquè hieroglyphicis literis, cùm terram ſignificare volunt, ponunt bouis figuram. Dianam quinetiam in inſula quadam ſinus Perſici tauri ſub imagine ſummo in honore habitam fuiſſe Dionyſius Alexandrinus memorat. Apud priſcos verò tanta fuit huiuſce animalis veneratio, ob ſummam illius in ruſticis laboribus ſuſtinendis patientiam ac tolerantiam, vt tàm capitale eſſet bouem aratorem necaſſe, quàm ciuem: cuius rei exemplum habeatur apud Plinum. Huius etiam encomium Varro lib. II. de re ruſt. decantauit his verbis: *bos ſocius hominum in ruſtico labore, & Cereris eſt miniſter*. Non abſimilia ab Aeliano var. hiſtor. lib. v. referuntur, cuius hæc ſunt: *bouem aratorem, qui iugum trahit, vel in aratro, vel in paluſtro ne mactes: quia ille etiam agricola eſt, & humano generi laborum ſocius*. Pythagoras apud Ouidium manſuetam, cicuramque huius animalis naturam explicans in hæc verba prorupit:

Quid meruere boues, animal ſine fraude doloque
Innocuum, ſimplex, natum tolerare labores.

Hanc igitur ob cauſam in ſacris Cereris interdictum erat ne bos adhiberetur, propter varia commoda, quę mortalibus afferre ſolet. Iterùm Ouid. in Faſt.

A boue ſuccincti cultros remouete miniſtri.
Bos aret, ignauam ſacrificate ſuem.

Apta

Apta iugo ceruix non eſt ferienda ſecuri,
Viuat, & in dura ſæpe laboret humo.

Cur verò hoc animal Lunæ fit adſcriptum, ante alios nobis rationem ſuggerit Luctatius Grammaticus his verbis. *Luna verò quòd propiùs Tauro adhæreat, vacca ideſt boue figurabatur.* Eius autem exaltationem eſſe in Tauro Iulius Firmicus, & Porphyrius teſtantur. Lunæ currui boues Auſonius ad Paulinum adſignat:

Iam ſuccedentes quatiebat Luna iuuencos. Et Claudianus:

Quo Phaëton irrorat equos, quo Luna iuuencos.

In nummis antiquis Sept. Seueri, Antonini Caracallæ eius filij, nec non & Iuliæ Piæ Luna ſtat in biga, quam gemini boues trahunt. Bouis item cornua Lunæ præſertim fuiſſe gratiſſima teſtatur Orpheus hymno Dianæ. Quin & ab illorum figura peculiare nomen ſortita eſt τανυφπὸς enim & τανυφπόλος dicebatur, vel à boum cornibus, vel ab aſpectu quo apparet, cùm corniculata eſt: aut certe quia id animal terræ culturæ deputatum eſt. Boues item apud Aegyptios Iſidi in delicijs præcipuè fuerunt, vti monuit Herodotus, referens illis morem fuiſſe boues mares Oſiridi, fœminas verò Iſidi dedicare: cuis auctoritati Diodorus Siculus adſtipulatur. Inter alia autem antiquitatis analecta, quæ in Muſæo meo aſſeruantur, Iſis ex nigro lapide effigiata viſitur, ſupra cuius caput bouina cornua aſſurgunt, quibus ſummia retum abundantia, & fertilitas deſignatur: nam ſecundum Salomonis XIV. Prouerb. ſententiam, *Vbi plurimæ ſegetes, ibi manifeſta eſt fortitudo bouis.* In apparatu ſacrificali, ſeu pompa Iſiaca, bos inter alia fercula à Protomyſtis præferebatur, vt in marmore perueteri obſeruaui. Dianæ porrò apud Romanos, non ſecùs quàm Iſidi apud Aegyptios, boum cornua ſacrata deprehendimus. Hi etenim in veſtibulo Templi Dianæ Montis Auentini ex vetuſtiſſimo ritu boum cornua affigebant. Quid ſi omnes haſce Deas boue gaudere diximus? Numquid etiam in ipſius Naturæ parentis delicijs eſſe poterunt? Certè quidem: nam ad illam omnium ciborum, & alimentorum, quibus mortales ſuſtentantur, officium pertinere antiqui putarunt. Boui quippè nomen à nutriendo factum volunt. ΒΩ enim nutrio ſonat: ſi quidem labore ſuo in terra exercenda nos continuo nutrit. Vetus autem Gloſſa ſuper Exod. cap. 22. beneficia, quæ à boue percipimus, enumerans: *Bos* (inquit) *inprimis immolatur, arat, paſcit carnibus, lac dat, & corium diuerſis vſibus miniſtrat.* Ad hæc multiplicia commoda Heſiodus reſpiciens bouem inter familiæ partes repoſuit. Is enim libro, qui inſcribitur Opera & Dies, domum ex viro, muliere, & boue aratore conſtare indicauit. Quàm verò appoſitè Epheſij boues laborioſiſſimos vtiliſſimis Apibus aſſociarint, in hoc marmoreo Naturæ ſimulacro mox ex ſequentibus innoteſcet.

APES

A P E S.

SOlæ ex volatilium, & inſectorum genere Apes Dianæ conſecrari, ipſiuſquè corpus ſymbolico argumento cohoneſtare meruerunt. Et hæ quidem ternæ vtrimquè effictæ, ac roſis immixtæ latera Deæ muniunt. Nec immeritò ſane: cùm iuxta præceptum Plinij roſæ iuxta aluearia ſint collocandæ. Cur vero Dianæ, Cereri, Terræ, & rerum parenti Naturæ in delicijs fuere? An cùm virginitatis cultrix ſit Diana, Apes ei adſcriptæ ob incorruptam virginitatem? Caſtas profecto Apes Petr. Damianus epiſt. 15. lib. 1. deſcribit, cum inquit: *Apes ſobolem ſucceſſuræ poſteritatis enutriunt, vt virgines perſeuerent.* Quin & naturali quodam inſtinctu res Venereas adeo auerſantur, vt eos, qui recèns operam Veneri dederunt, acriùs inuadant, quod Plutarchus in coniugalibus præceptis annotauit. Conſona etiam ſunt illa, quæ de integritate earum virginali cecinit Virgilius Georg. lib. IV.

Illum adeo placuiſſe apibus mirabere morem,
Quod nec concubitu indulgent, nec corpora ſegnes
In Venerem ſoluunt, aut fœtus nixibus edunt.

Quod ipſum luculentèr Quintilianus in declamatione, quæ *Apes pauperis* inſcribitur, oſtendit his verbis: *Non illas libido progenerat, domitrixq; omnium animalium Venus.* Eucherius autem Apem virginitatis ſymbolum eſſe tradit. Vide, ſi lubet, Albertum Magnum lib. 17. de An. tract. 2. cap. 2. & miram Apum caſtitatem agnoſces. Quare cùm Diana ſummoperè virginum moribus, ac conſortio delectetur, non mirùm ſi puriſſimas Apiculas in complexum tanquam aptiſſimas comites receperit. An non Dianæ exemplo Apes in montibus degunt, & locis ab hominum conſuetudine remotis gaudent? Aliam cauſam habe: Apes rorem ex floribus legunt, fauos inde conficiunt; non ineptè igitur Dianæ ſeu Lunæ alumnæ dicuntur: cum Alcman poëta Lyricus, vel ipſo Macrobio Satur. lib. 7. teſte, rorem aëris ac Lunæ filium eſſe dixerit: & peculiari encomio Luna roſcida nominetur. Aliud occurrit, quod hìc attexam; Apes propter eximiam velocitatem Lunæ tribui: ſcitè enim ab Ouidio agiles nuncupantur. Verùm libetne, vt quid iam Apis cum Cerere peculiare habeat, diſquiramus? Porphyrius in antro Nympharum Apes Cereris miniſtras ſtatuit: numquid ob puritatem? hoc equidem ſentire Pindarus in Pyth. videtur: cuius interpres ad hæc verba,

Οἳ ὃ ἐν τούτῳ λόγῳ χρησμὸς ὥρθωσε μελίσσας.

Propriè quidem, ait, *Apes Cereris miniſtras appellauit propter earum puritatem: impropriè verò omnes alias animantes.* Idem Pindarus alibi

Cererem in ſolemnibus ſacris Apibus delectari ſcribit : quo factum crediderim, vt cùm Ceres maximè à ſanguine abhorreat, mella inter alia libamina ſibi aſciuerit . Pauſanias in Eliac. author eſt, Eleos cùm in Prytaneo monte Cereri ſacra facerent, thure & melle ſubactum triticum adoleuiſſe . Idemquè in Arcadicis refert, Cereri Phigalienſi fauos fuiſſe oblatos . Et hoc inſtituti genus ad Romanos vſquè tranſijt : nam quotieſcumquè Ambaruale ſacrum pro maturis frugibus fiebat, faui cum libamentis offerebantur . Adeò ad impetrandas fruges Apes valere credebant . Quò mirè facit quod de Trophonij Oraculi origine Pauſanias in Bęotic. prodidit, cuius verba adſcribere non pigebit : *Cum vnum*, inquit, *& alterum annum nullis terra imbribus irrigaretur, è ſingulis ciuitatibus Delphos miſſi ſunt, qui opem implorarent . His ſiccitatis remedium expoſcentibus Pythius Apollo imperauit, vt Lebadeam venientes à Trophonio mali auxilium quærerent . Lebadeam itaquè profecti, cum Oraculum reperire non poſſent, Saon quidam Acraphienſis, collegarum natu maximus, cum Apum examen conſpexiſſet, quocumquè illæ diuertiſſent, ſequi ſtatuit . Vbi igitur eas ad ſpeciem quandam aduolantes vidit, & ipſe ſubiens oraculum, quod quærebant, illud eſſe intellexit.* Quo inuento, quæ iamdudum inculta, & ſquallens terra iacuerat, imbribus tandem ſaturata breui florida, ac frugifera fuit . Quonam tandem iure Apes Cybelem attingant, videamus . Papauer, vt Euſebius monet, Ciuitatis eſt ſymbolum, ob multitudinem ſcilicet granorum, quæ in eo, tanquam in ciuitate ciues ſtipantur . Pari ratione Apum alueare ciuitatis ſeu reipublicæ congruum poteſt argumentum conſtitui . Apum quippe labor, & vita indefeſſa, nihil aliud eſt quàm exemplar reipub. optimis legibus, & ciuili diſciplina inſtitutæ . Quin vt hominum frequentia conſeruantur vrbes, ſic in aluearibus Apes : adeò nempè frequentiæ, & ſocietatis amatrix eſt Apis, (quod Mauſonius annotauit) vt ſi ſola relinquatur, deſiderio tabeſcat, & moriatur : quod etiam innuit Cicero Offic.lib.1. *Apum examina non fingendorum cauſâ congregantur, ſed cùm congregabilia natura ſint, fingunt fauos* . Igitur ſicut inter ciues officia reipublicæ diuiduntur, ſic etiam Apes inter ſe labores, & opera in mellificando partiuntur: nulliquè licet otiari, ſed ignauos abs ſe propellunt. Tangit hanc earum naturam Virgilius:

Ignauum fucos pecus à præſepibus arcent.

Non immerito igitur ſub Cybeles famulatu Apes ſtauendæ, ſub cuius tutela vrbes . Addatur & iſtud, Cybelæ & Cereri æquè communia fuiſſe cymbala : at quis neſcit Apes diſſipatas, & diſplicatas, vt loquitur Varro de re ruſt. lib. III. cymbalis & plauſibus in vnum locum reduci? hæc ſciens Claudianus cecinit.

qualis

qualis Cybeleia quassans
Hyblæus procul æra senex reuocare fugaces
Tinnitu conatur Apes.

Apibus igitur & Cybelæ æra communia, sed & Lunæ quoquè: consueuerant quippe veteres delinquente Luna æra pulsare: cuius moris meminit Manilius Astron. lib. 1.

Vltima ad Hesperios infectis volueris alis,
Seraquè in extremis quatiuntur gentibus æra.

Ceres non minùs digno quàm proprio elogio Munifica dicebatur: ita etiam Apis munifica nuncupanda, gratis enim nobis mellificat, & sine impendio labores suos mortalibus elargitur. Deniquè ipsius Telluris feracitas vbertasquè non potuisset alio melius, quàm Apis symbolo subintelligi. Verùm offert se præcipua quædam mihi ratio, cur Ephesinæ Dianæ simulachro Apes insculptæ fuerint, eamque insinuat Philostratus his verbis; Τί οὖν αἱ Μοῦσαι δεδρο; τί δὲ ἐπὶ ταῖς πηγαῖς οὗ Μέλητος; Ἀθηναῖοι τὴν Ἰωνίαν ὅτε ἀπῴκιζον, Μοῦσαι ἡγοῦντο τῶν ναυτικοῦ ἐν εἴδει μελιττῶν. *Quidnam huc Musæ? Quid ad Melitis fontes? Cum Athenienses Ionicas colonias ducerent, Musæ classis duces fuere, sub Apum specie.* Quod & ante Philostratum Himerius Sophista annotarat, vt à Leone Allatio linguæ Græcæ peritissimo accepi. Quo factum vt in huius beneficij recordationem Ionicarum Vrbium princeps Ephesus has etiam Apes, principis sui numinis simulacro insculpserit. Hæc de conuenientia symbolorum satis: nunc earundem opportunitates explicabimus.

APVM ET MELLIS COMMODA.

PLacetne vt Apis dotes & mellis commoda perscrutemur? Naturam veluti matrem prouidam, & totius generis humani susceptricem, cum multis mammis supra produximus. Verùm cùm ipsius lactis vsus ad reliquam hominis vitam educandam sufficere minimè posset, indulgenter varia fructuum genera subministrauit, vt faciliùs mortales sustentarentur. Ad hæc autem exoptatissima Naturæ dona sagax Ephesiorum religio respiciens, non sine mente cum infinitis illis papillis vberrimam fructuum copiam, quibus sertum lemniscatum refertum conspicimus, velut ex eius sinu productam mammis associauit. Cùm autem sine lactis vsu, & frugibus hominis vitam posse sustentari Ephesij cognouissent; beneficio videlicet ac edulio mellis; ideò Apes Naturæ simulacro tanquam ministras hominibus necessarias adiunxerunt. Ipsemet Iupiter ante omnes, Antonino Liberali teste, Apum benificentiam sensit; illi

quippe in antro Cretenſi vagienti Apes mella tanquam diuinum nectar pro alimento dederunt. Sed conuenientius ſit ex Lactantio lib. 1. cap. 2. dicere, Meliſſam regis Cretenſis filiam vnà cum ſorore Amalthea Iouem puerum educaſſe; illam ſcilicet melle, hanc verò lacte caprino. Poſt Iouem Beroë quoquè mellis alimonio nutrita: ſic refert Nonnus Dionyſ. At enimuerò non vni Ioui, nec ſoli Beroæ mellis edulia communia: verùm etiam primitiuus mos erat, vt peculiariter hoc cibo pueri paſcerentur. Ideò Moſchius iubet, vt nutrix os infantis melle illinat. Apud Ouidium Faſt. lib. 4. etiam Triptolomo infanti lac, poma, & mella edenda dantur.

Mox epulas ponunt, liquefacta coagula lacte,
Pomaquè & in ceris aurea mella ſuis.

Hieroni autem, cùm iuſſu patris expoſitus fuiſſet, quòd ex ancilla natus crederetur, humanæ opis indigenti Apes in os mella congeſſere: quo oſtento pater ab haruſpicibus admonitus filium recipiendum duxit, moribus, & diſciplinis illis erudiendum curauit, quibus poſtmodum ad præſignatam regni maieſtatem facile peruenit. Quarè Apis eodem nutricis epitheto decorari poteſt, quo Diana ab Orpheo cohoneſtatur; vtraque enim παιδοτρόφος, hoc eſt, puerorum nutrix eſt, quo etiam nomine Diana apud Diodorum vocatur: quòd ſcilicet ad eam infantiam, & ciborum officium pertinere veteres exiſtimarent. Attexatur & illud quoquè, Pindarum, cùm è paterna domo pulſus & expoſitus fuiſſet, ab Apibus educatum, teſte Aelian. de var. hiſt. Et eius filias paterno præſidio & opibus carentes è benigna Veneris manu caſei, & mellis edulia ſuſcepiſſe.

Verùm enimuerò hoc pretioſi nectaris alimentum non infantibus primulæ ætatis tantummodò exhibitum, quinimo grandæuis, & longæuis etiam hominibus pergratum ſalutarequè fuiſſe priſcorum paginæ nobis ſuggerunt. Huiuſce cœleſtis liquoris meminit & ipſe Homerus, apud quem Machaoni, Neſtoriquè annoſo, mel & cepa tanquam lautiſſimæ dapes vſui fuerunt; in quorum ſchola Neſtoris vxor enutrita, Patroclo cepam cum melle recenti aurea in lance appoſuit. Hìc etiam audire iuuat Poſſidonium referentem, Myſios religioni indulgentes ab animantibus abſtinuiſſe, & eam ob cauſam pecus omne vitaſſe; melle verò tantum, & lacte vitam ſuſtentaſſe. Prædictis calculum ſuum adijcit Euſtathius in Iliad. x. & frequentiſſimum veteribus fuiſſe mellis vſum refert, Pythagoræque exemplum adducit, qui ſolo melle, tanquam diuino pharmaco, contentus diù vixit. Similia prodidit Ariſtoxenus philoſophus & muſicus nobiliſſimus, qui Pythagoræ ſectatores vt plurimum melle vſos enarrat. Hùc etiam traho illud Athenæi de Democrito, cui non modo mellis ſuffitus, verùm etiam ipſius vapor naribus admotus tàm ſalutare beneficium contulit, vt per multos annos

ſanus,

ſanus, & incolumis permanſerit : vnde interrogatus, quonam pacto diù quis ſanus eſſe poſſet; Si interna, inquit, melle rigaris, oleo autem extima . Zenoni verò philoſopho non cupediarum nobiles illi artifices edulia parabant, ſed modico pane, & melle menſam onerare ſtudebant, vt in eius vita Laërtius retulit . Sic etiam educati fuere Antiochus medicus, & Romulus Pollio, qui ſcientiam Apicianæ popinæ explodentes, mellicis alimentis abſquè alijs ferculis in vltimam vſquè ſenectam vitam protraxerunt . Cæterùm valeat apud nos Diophantis authoritas, qui de re ruſtica librum conſcripſit, aſſerentis in longa æui ſpatia vitam eos producere, qui continuo mellis eſu vterentur . Hanc verò vnicam ob cauſam Cyrnios longæuos dici volunt, vt ex Athenæo obſeruare licet, quòd aſſidua mellis eſitatione delectati fuerint . Poteſt ex præfatis hoc pretioſo nectare hominis vita abſquè vllo alio cibo ſuſtentari . Audi præterea, ſi graue non eſt, ipſummet Hippocratem medicinæ parentem, de melle differentem . *Vinum & mel optima iudicata ſunt hominibus, ſi iuxta naturam & ſanis, & debilibus cum temporis oportunitate, ac mediocritate exhibeantur* : tùm alibi, *mel cum alijs quidem comeſtum & nutrit, & bonum colorem exhibet* . Eadem Celſi mens fuit, atquè adeò non paruum nutrimentum humanis corporibus à melle conferri ſcripſit; quæ ne temerè, & ſine ratione dicta videantur, age ſis mellis proprietates expendamus .

MELLIS VIRES ET PROPRIETATES.

PRincipiò quidem mellita medicamenta, diuiniq; huius nectaris potiones quantum in medicina valeant, ipſimet medicinæ parentes Hippocrates & Galenus abbundè prodidere . Quæ Plinium etiam non latuere: tradidit quippe mel conſeruandi facultate pollere, vlcera vetuſta expurgare : quod & Porphyrius ſignificauit . Apuleius autem Platonicus in libello, quem de viribus herbarum contexuit, mirificas mellis virtutes in varijs ægritudinibus, morborumq; curationibus refert, obſeruatque liquorem illum cum herbarum ſuccis & mandragora mixtũ ſaluberrimum eſſe . Porro inter præcipua remedia, quæ ebrijs medici olim adhibere ſolebant, panem melle oblitum Macrobius Satur. lib. 1. c. 7. recenſuit . Mel quoq; deſiccandi vim habet, firmatque vulnera vt idem autor Sat. lib. 7. cap. 12. obſeruauit, his verbis: *Nam quæ vdanda ſunt, corporis, vino fouentur; quæ ſiccanda ſunt, melle deterguntur* . Cum potiones amaræ præbendæ olim erant, poculi ora melle illinebantur . Poſſem infinita alia recenſere; ſed longioris id operæ, & aberramenti prolixioris foret . Addam tantummodò, corpora huma-

humana, non ſolùm dum viua ſunt, Apum muneribus recreari, & iuuari; ſed poſtquam etiam anima deſtituta ſunt, beneficio mellis ſeruari. Conſtat etenim, defunctos in melle ſitos à fœtore & putredine defendi. Valet inprimis apud nos Xenophontis Ἑλληνικῶν lib. 5. autoritas, aſſerentis Ageſipolin Lacedemonium graui morbo affectum, eoque die ſeptimo conſumptum, in melle poſitum, & Lacedæmonem reuectum, regiaque ſepultura fuiſſe donatum. Statius in Siluis ſcribit Alexandri Magni cadauer melle litum putredini non fuiſſe obnoxium. Plinius etiam refert Hippocentaurum Claudio Cæſari ex Aegypto illatum in melle conditum fuiſſe, ex more rituque illius gentis: qui mos Babylonijs etiam & Aſſyrijs familiaris fuit. Quam conſuetudinem non parùm iuuant illa Varronis περὶ Ταφῆς apud Nonium in nomine, Vulgus: *Quare*, inquit ille, *Heraclides Ponticus plus ſapit, qui præcepit vt comburerent, quàm Democritus, qui vt in melle ſeruarent: quem ſi vulgus ſecutus eſſet, peream ſi centum denarijs calicem mulſi emere poſſimus.*

Verùm ne inſipida quæ protulimus eſſe videantur, paucula tanquam bellaria apponam, quæ ad victus lautitiam, epularumque magnificentiam ſpectant. Frequentiſſimum apud veteres fuiſſe mellis vſum in obſonijs, & condimentis vulgatæ autorum paginæ abundè teſtantur. Apicius inſignis ille Opſophagus ante omnes idipſum non paucis in locis ſignificauit, quem vide, ſi animus eſt tibi iſta pernoſcere. Ad parandas certè in lautioribus conuiuijs delitias, bellaria mellita excogitata, ac in ſecundis menſis appoſita. Sic Varro apud Aul. Gellium lib. XIII. cap. XI. bellaria ſecundæ menſæ mellita eſſe debere præcipit. Quò trahi poſſunt illa dulciarij piſtoris apud Martialem verba.

Mille tibi dulces operum manus iſta figuras
Extruit, huic vni parca laborat Apis.

Placentæ etiam mellitæ auidè inter conuiuas expetitæ: vnde Horatius epiſt. 2.

Pane egeo, iam mellitis potiore placentis.

Placentæ vt plurimum ex farina hordacea, caſeo, & melle ſimul commixtis parabantut. Edulia autem illa, quæ in melle cocta ſunt, maximè concoctionem in ventriculo iuuare docet Plinius lib. XX. cap. IX. Idemque alibi refert ſemen tritum candidi papaueris cum melle in ſecundis menſis apponi ſolitum: plura prætermitto, quàm deſcribo. Ad vinum melle temperatum venio, quod vini genus in lautioribus conuiuijs olim expetitum: Vnde eſt illud notum Martialis in Xenijs.

Attica nectareum turbatis mella falernum,
Miſceri docet hoc à Ganymede merum.

Primus omnium mortalium Ariſtæus mella vino miſcuit; miſcendi autem

tem

tem rationem Plinius lib. XIV. cap. XC. de re ruſt. Columnella edocent. Sed quoniam hæc potiùs gulæ irritamenta, quàm res humano generi neceſſarias reſpicere videntur, ad alia luculenta Apum munera, quæ in vitæ humanæ ſubſidium munificè conceſſa ſunt, pedem referre lubet.

Ceræ non infrequentiores, quàm mellis vſus: hac Deorum, heroumq; imagines formabantur; exornabantur atria: hinc maiorum vultus ducti; accenſi Deorum funales; Pictorum tabulæ inceratæ: hinc obſerata vulnera: vnde Valerij Flacci verſus,

Vel pice, vel molli concludere vulnera cera:

Pugillares ſeu tabellæ ceratæ, in quibus ſtilo æneo, aut ferreo literas exarabant. Plautus in Aſinaria.

Nec vlla ſit cera, vbi facere poſſit literas.

Præter allata Apum munera Propolis poteſt adiungi: ſed ne longior ſim, ad Plinium lib. XI. cap. VII. te remitto: qui rectè dixit Apes hominis cauſa genitas eſſe; nam quicquid laborioſiſſima Apum familia operatur, in communem hominum vtilitatem cedit. Ex dictis liquere ſatis puto, cur Dianæ ſeu Naturæ ſacræ Apes. Iſtud tantum corollarij loco attexam, in ſanctiore Eminentiſſimi Cardinalis Franciſci Barbarini Ceimeliarchio gemmam videri in qua tres Apes cum aratro expreſſæ, quarum duæ iunctis ſub iugum ceruicibus terram proſcindunt; altera verò coloni vicefungens ſtimulo comites excitat. Quo hieroglyphico tanquam muta quadam poëſi animos ſegnes non ſolùm ad labores incitare, verùm etiàm tacitis religionis Eleuſinæ præceptis inſtituere priſci ſine dubio voluerunt.

ROSÆ.

ROſæ binæ hinc atquè hinc diſpoſitæ, ſolertis ingenij arbitrio Apibus intermixtæ fuerunt, vt omnium florum fructuumquè primitias deſignarent: flores certe fructus promittunt: roſæ præſertim, quas poëtæ indiſcriminatim pro quibuſlibet ferè floribus ponunt. Horum veſtigijs Dianæ opifex inhærens roſam illi tribuit, credo ad terræ fertilitatem deſignandam. Ac licet roſas tanquam ſibi proprias Venus vendicet, non obſtat tamen quin & has Cereri adiudicemus. Percelebris enim eſt illa veſtis Cereris apud Apuleium ex varijs florum generibus contexta. Roſacea item illa corona, de qua plenius ſupra diſſeruimus. Quid ſi & hic roſarum ornatus memoriam raptus Proſerpinæ inculcet? Ferunt quippè eam Siculis in campis roſas legentem à Plutone raptam. Vt vt ſit, Diana roſis ornata certè inducitur, nempè quòd earum calices nocturno tempore vt plurimùm explicari ſoleant. In pompa vero Magnæ matris roſæ

ante

ante Deæ ſimulacrum ſpargebantur : vt à Lucretio lib. 11. traditum obſeruauimus .

Aere atquè argento ſternunt iter omne viarum ,
Largifera ſtipe ditantes , pinguntque roſarum
Floribus , vmbrantes matrem , comitumque cateruas .

Pertinent igitur ad Cybelem & Lunam roſæ : nec immeritò , cum florum Reginæ ſint , omnem vegetantem naturam , quæ ſuccum & alimentum è terra ducit , adumbrare creduntur .

F A S C I Æ .

INferiora ſtatuæ tribus reuincta ſunt faſcijs , non dubiè quin ex Aegyptiorum diſciplina , prout ex priſcis illorum monumentis ac etiam ex hieroglyphica Bembi tabula liquet ; qui Iſidem verſicoloribus vittis toto corpore vinctam adumbrabant . His autem vittis Lunæ in elementorum coagmentatione varias operationes , & effectus myſticè deſignabant : vel certè , quæ Heliodori ſententia eſt , varias Lunæ facies , & aſpectus indicabant . Poſſis & circulos illos ſeu coronas , quibus Luna ſæpe cingitur , in faſcijs intelligere . Aut fortè per has innuere voluerunt , res quaſque è terra natas curſu temporis rurſum in terram redire . Luna verò , vt ſupra annotauimus , vitæ mortiſquè dominium habere credebatur . Quod ſi velis has tænias ad Cererem referre , non pugnabo , cum hæc omniparens , & commune rerum omnium ſit ſepulchrum . Ideoquè corpus eius faſcijs obligatum fingi potuit , vt innueretur , ſemina medio anni ſpatio ſub terra veluti in vtero Cereris occuli , indeque per occultam vim reddi cum fœnore .

Soli pedes luſtrandi ſuperſunt . Sunt autem ex marmore nigro in ſe contracti , & eo modo compoſiti , quo omnium ferme Deorum ſimulacra Aegytios formaſſe refert Herodotus . Ocreati non ſunt vt in alijs Dianæ ſtatuis , ſed nudi , impedimentiſquè ſoluti , vt præcipuè tanti numinis propenſa voluntas , maternique affectus erga mortales dignoſcerentur .

Hæc fere dicenda habui de his ſymbolis , & hieroglyphicis : nec diutiùs in ijs immorabor : cùm liquido iam conſtare credam , hæc omnia ab Epheſiorum hierophantis præſertim electa fuiſſe , vt latentes rerum naturalium cauſas , ſub his quaſi ſub arcanis inuolucris obtegerent , honeſtoq; philoſophiæ obtentu velarent : quo faciliùs cæcutientibus imperiti vulgi oculis imponerent . Siue vt per hanc figurarum ſymbolorumque varietatem , Dianam ſuam auguſtiorem redderent ; ſub cuius effigie Naturæ rerum omnium procreatricis numen , vt in limine operis ex Diuo Hiero-

nymo

nymo attigimus, contineri volebant. Porro Naturam ipſam non modò Epheſij, verùm etiam pleræque aliæ gentes tanquam Deam diuinis honoribus affecerunt. Et Macrobius refert Iſim ſupremum Aegyptiorum numen, nihil aliud eſſe, quàm terram, naturamue rerum. Epicurus verò mundi huius gubernatorem ſolam naturam ſtatuebat: vt ex Minucio Felice in Oct. colligere eſt: *Etiam* (inquit) *Epicurus ille, qui Deos otioſos fingit, Naturam tamen ſuperponit*. Eadem quoque mens fuit Senecæ lib. 4. de benef. qui Naturæ diuinitatem tribuit his verbis. *Natura hoc mihi præſtat; non intelligis te, cùm hoc dicis, mutare nomen Deo? Quid enim aliud eſt Natura, quam Deus, & diuina ratio toti mundo, & partibus eius inſerta?* Hùc trahi poſſet Lactantij auctoritas, Naturam pro Deo primitus habitam declarantis: conſule eum, ſi lubet, aut ſi plura Naturæ encomia deſideras, hymnos qui ſub Orphei nomine circumferuntur, adi. Cęterùm tanta fuit Dianæ Epheſiæ gloria, tanta religio, vt non à finitimis tantummodò, verùm etiàm à remotiſſimis populis eius effigies peculiari ſtudio coleretur: ità refert Strabo, qui & in extremitate Ferrarij Hiſpanię promontorij fanum Dianæ Epheſię fuiſſe prodidit. Pauſanias autem multis in locis cultam eam fuiſſe obſeruauit: ſcribit enim de Corintho: *In foro, vbi plurima ſunt templa, Diana eſt Epheſia cognomento*. Eodem quoque teſte in porticu Megalopolitana ſignum Dianæ Epheſiæ poſitum fuit. In Arcadicis Templum Dianæ Epheſiæ apud Eleam Arcadiæ oppidum extare retulit. Maſſiliæ quoquè Iuſtinus hanc Deam adoratam fuiſſe memorię prodidit. Demùm non paucę eius marmoreæ ſtatuæ, quæ hodie Romæ viſuntur, ſatis ſuperque indicant, hanc peculiari cultu Romanos fuiſſe proſequutos. Verùm abſolutis tandem celeberrimi huiuſce ſimulacri ſymbolis & partibus, operæ pretium facturum me puto ſi pauca de templo, vbi ſignum illud aſſeruabatur, retulero.

TEMPLVM DIANÆ EPHESIÆ.

EPheſus, vt vult Stephanus, Ioniæ eſt vrbs clariſſima; Lydię, vt Herodotus: Aſiæ certè lumen Plinio dicta eſt. In ea Dianæ templum nobiliſſimum, quod cœteris pulchritudine, & varietate marmorum, columnarum numero, ac ipſius etiam ſtructurę concinnitate, nec non & copioſa ſupellectile prælatum fuit, atque inter orbis miracula annumeratum. Placet igitur eius quantulamcumque adumbrationem ex Plinio lib. 36. cap. 19. exhibere. *Magnificentiæ* (inquit) *vera admiratio extat templum Dianæ Epheſiæ ducentis, vel vt alij volunt, quadringentis viginti annis factum à tota Aſia: in ſolo id paluſtri fecere, ne-*

terræ motus ſentiret, aut hiatus timeret. Rurſum ne in lubrico atque inſtabili fundamenta tantæ molis locarentur, calcatis ea ſubſtrauere carbonibus, dein velleribus lanæ. Vniuerſo templo eſt longitudo quadringentorum viginti quinque pedum, latitudo, ducentorum viginti. Columnæ centum viginti ſeptem à ſingulis Regibus factæ; ſexaginta pedum altitudine, ex iis triginta ſex cælatæ. Quales fuerint trabes, ex Vitruuio ſuprà indicauimus. Valuæ autem ex cupreſſo compactę, quæ & ad quatuor vſque ætates intactę permanſerunt, vt Theophraſtus hiſt. plant. lib. v. annotauit. Cœterum tanta fuit templi maieſtas, vt anſam Plinio dederit aſſerendi, *Cœtera eius operis ornamenta, plurium librorum inſtar obtinere.* De primis eius auctoribus inter ſe non conueniunt ſcriptores. Liuius à ciuitatibus totius Aſiæ factum ex vulgari fama refert. Alij maluere ab Amazonibus extructum: quò faciunt verſus illi Nonni in Dionyſ. quos in limine ſermonis adduximus. Pindarus apud Pauſaniam in Achaicis idem fatetur, atque adeò eleganti carmine Amazonibus bellum Theſeo inferentibus hoc opus aſſignat. Id etiam Hyginus inſinuat, & addit inſuper, ab Otrita Amazone Martis coniuge dedicatum. In ea quoque mente Pimandri interpres, Pomponius Mela, & Solinus lib. 1. cap. 41. quibus tamen neutiquam conſentit Pauſanias in Achaicis: ſed Eræſum hominem indigenam, Epheſumque Cayſtri fluminis filium tantæ molis auctores facit: quin & ab Epheſo vrbem denominatam aſſerit. Quocumque auctore excitatum fuerit, tantæ fuit magnificentiæ apud priſcos, vt inter ſeptem orbis miracula adnumeratum, non vltimum locum habuerit. Antipater illud ſpectaculis omnibus anteponere non dubitauit. Eadem fiducia Hyginus primum illi locum inter orbis miracula tribuit. Non me tamen fugit, alios eſſe qui ſecundum illi locum aſſignent. Callimachus poëta illuſtris in hymno Dianæ, nihil præcellentius & admirabilius à Sole oriente conſpici dixit. Sed omnium elegantiſſimè huius Templi auguſtam magnitudinem depingit Philo Byzantius antiquiſſimus ſcriptor libello de VII. orbis miraculis, cuius locum harum elegantiarum ſtudioſi vnà mecum debebunt V. Cl. Lucæ Holſtenio, qui eum libellum iam dudum cum alijs editioni paratum ſeruat: vnde hæc interim amiciſſimi viri beneficio cum eiuſdem verſione Latina profero.

ΘΕΑΜΑ ΠΙ.

Ὁ ἐν Ἐφέσῳ ναὸς τῆς Ἀρτέμιδος.

Ὁ Τῆς Ἀρτέμιδος ναὸς ἐν Ἐφέσῳ μόνος ἐστὶ Θεῶν οἶκος· πεισθήσεται γὰρ ὁ θεασάμενος τῶν τόπον ἐνηλλάχθαι, καὶ τῶν οὐράνιον τῆς ἀθανασίας κόσμον ἐπὶ γῆς ἀπηχθεῖσθαι. Γίγαντες γὰρ οἱ τῶν Ἀλωέως παίδων τὸν τὴν εἰς οὐρανὸν ἀνάβασιν ἐργάσαντο, ὄρεσι χωννύοντες τῶν οὐ ναὸν, ἀλλ' Ὄλυμπτος· ὥστε τῆς μὲν ἐπιβολῆς Τολμηρότερον εἶναι τὸν πόνον, οὗ πόνου δὲ τὴν τέχνην· τὸ γὰρ ἔδαφος τῆς ὑποκειμένης γῆς λύσας ὁ τεχνίτης, καὶ τὰ βάθη τῶν ὀρυγμάτων καταβιβάσας, εἰς ἄπειρον ἐβάλετο τὴν κατώρυγα θεμελίωσιν, ὀρῶν λατομίας δαπανήσας εἰς τὰ κατὰ γῆν καλυπτόμενα τῶν ἔργων· Ἐρείσας δὲ τὴν ἀσφάλειαν ἀσάλευτον, καὶ προυποθεὶς τῶν Ἄτλαντα τοῖς βάρεσι τῶν μελλόντων ἐπαπερείδεσθαι, πρῶτον μὲν ἔξωθεν ἐβάλετο κρηπίδα δεκάβαθμον διεγείρων πρὸς βάσιν μετεωροφανές, καὶ περὶ .... λείπει.

VI. MIRACVLVM.

Templum Dianæ Ephesiæ.

Dianæ Ephesiæ templum vnicum est Deorum domicilium: quisquis enim spectauerit, credet permutatis inuicem locis mundum cælestem immortalium deorum in terras demigrasse. Nam Gigantes, vel Aloidæ cælum conscendere aggressi aggestis montibus non templum, sed Olympum struxere: ita vt labor inceptum, ars laborem audacia superet. Artifex enim dimoto solo, quod suberat, actisque in immensam profunditatem fossis fundamenta altioribus cuniculis iecit: ita vt montium lapicidinas operibus subterraneis exhauriret. Sed strato inconcussæ soliditatis firmamento, & præsupposito Atlante ad superincubituri operis pondera sustinenda, principio quidem crepidinem decem graduum extrinsecus posuit, quæ basis eleuatioris vice fungeretur.

Reliqua deinde huius capitis perierunt, magno ſanè damno : haberemus enim exactam totius ſtructuræ deſcriptionem, qualem in cæteris expreſſit ſcriptor antiquiſſimus, qui ipſum templum haud dubiè viderat ante conflagrationem. Sed quod in Philone temporum iniuria nobis negauit, aliunde reſarcire conabor. Ea propter ipſius Templi formam ſtudioſorum oculis exhibere decreui, duplicis nummi beneficio : quorum vnus ex metallo pulcherrimo & forma grandiuſcula in Muſæo Eminentiſſimi Cardinalis Franciſci Barberini aſſeruatur ; alter verò ex ſchedis Io. Iac. Chiffletij Patritij Biſuntini depromptus eſt.

Primus vt vides, templum octo columnis inſtructum cum Dianæ Epheſiæ icuncula repræſentat. In huius priori parte Hadriani vultus eſt cum hac inſcriptione : AYT. KAIC: AΔPIANOC. CEB. Hoc idem numiſma à Ioanne Sambuco mutilum prolatum eſt. Alter autem nummus appictus templi etiam Epheſini ſchema, vt literæ circum orbem indicant, oſtendit. Quem eò lubentiùs hìc adieci, quòd ambitus exterior templi diſpoſitas circumcirca columnas oſtentet, & crepidinem δπλάθμον oculis ſpectandam exhibeat, cuius Philo Byzantius meminit. Ipſius autem templi exædificatio Ionica eſt ; id quod præter vulgata numiſmata Vitruuius etiam confirmat his verbis : *Primumquè ædes Epheſi Dianæ Ionico genere ab Cteſiphonte Gnoſſio, & filio eius Metagene eſt inſtituta : quam poſtea Demetrius ipſius Dianæ ſeruus, & Pœnius Epheſius dicuntur perfeciſſe.* Strabo prioris templi architectum Chereſiphrona, (fortè pro Cteſiphonte) ſtatuit ; Cheremocratem verò poſt Heroſtrati incendium reſtituiſſe pronunciant. Conſtat autem ſepties idem fuiſſe reſtauratum ; idquè inprimis affirmat Plinius.

* *Vt autem Templi huius omnium, quæ vnquam fuere toto Orbe, celeberrimi, aliqua ſpecies è ſuo funere, imò è ſuo duplici rogo eniteſcat, ſuperſtites nummos duos in lucem proferimus, templi ipſius ectypo inſignitos, quos Auctor noſter ſuperiùs deſcripſit. Cum tamen, ob eorum exiguam magnitudinem, ſeù paruitatem, ad exprimendam ſtructuræ elegantiam, Ionicos ſcilicet modulos, gradus, ambitum, aliaque ad ſymmetriam ſpectantia impares ſint ; vniuerſam Templi faciem in maius producere, atque in ampliorem formam redigere, quoad fieri potuit, ſatius duximus, prout in binis proximis tabulis, Petri Sancti Bartoli ſtylo graphicè, & concinnè, adumbratam, ſpectandamque ſubijcimus. Ad maius verò ſtudioſorum priſcæ elegantiæ oblectamentum, ipſis duobus nummis tertium, & quartum addidimus, Dianæ cultum, & ſacra deſignantes, duobus pariter ſubſequentibus tabulis expreſſos, vt vnà ſimul iuncti nil expetendum oculis relinquant.*

Pri-



Dianæ Ephæsiæ Templi frons Ionica ex nummo Hadriani cum titulo:
ЄΦЄCIΩN *Ephesiorum.*



Exterior Dianæ Ephesiæ templi ambitus cū alīs ex numō . . . cū epigraphe ЄΦЄCIΩN ΔIC NЄΩΚΟΡΩΝ *Ephesiorum bis Neocororum.*



Imperator ad tripodem cum patera sacra peragit Ephesiæ Dianæ
Ex nummo Caracallæ, seu Elagabali cum inscriptione:
ЄΦЄCIΩN MONΩN AΠACΩN TETPAKI NЄΩKOPΩN
Ephesiorum, qui soli ex omnibus quater Neocori fuere.



Vrbs Ephesus, siue Amazon Smyrna nomine, Ephesi conditrix, ac Dianæ Sacerdos Taurum mactandum sistit ante Deæ simulacrū

Ex Nummo Iuliæ Augustæ inscripto:

ЄΦЄCIΩN TPIC NЄΩKOPΩN KAI THC APTЄMIΔOC

Ephesiorum ter Neocororum, et Artemidis seu Dianæ

Prima Tabula ex nummo Hadriani, qui inditissima Barberina Gaza adseruatur, templi frontem octo columnis fultam, cum Dianæ icuncula in medio repræsentat, Luna & Sole, pari fratris, & sororis cultu desuper affulgentibus, cum epigraphe ΕΦΕCIΩΝ. *Similem Ephesini templi faciem ostentant non tantum Hadriani Nummi, sed & Antonini Pij, & Marci Aurelij ab Ephesijs signati; olim apud Franciscum Gottifredum, nunc in Regio Thesauro Christinæ Augustæ; quorum primus Hadriani coronam in fastigio appictam refert, siue ad ornatum, siue ad cultum, quam nostræ editioni addidimus.*

Secunda Tabula ex schedis Chifletianis exteriorem templi ambitum designat cum alis; alæ autem columnæ sunt à lateribus ambientes ædem, de quibus Vitruuius, qui etiam de Ionica eius exædificatione loquitur. Tanta verò Templi huius fuit magnificentia, & maiestas, vt centum viginti septem columnis fulciretur à singulis Regibus factis, sexaginta pedum altitudine, ex quibus triginta sex celatæ admirationi erant (quales hìc Romæ nostras videmus Traianam, & Antoninianam anaglyphico opere insculptas) & has a Regibus factas opinamur. Cætera admiranda ex supra relatis Auctoribus agnosces, & ex Plinio præcipuè, ac Philone Byzantio, qui crepidinem decem gradibus, basis vice, eleuatam refert, prout in nostris Tabulis obseruamus.

Tertiæ Tabulæ typus desumptus est ex nummo Caracallæ seu potius Elagabali, vt placet Clariss. Viro Andreæ Morellio in suo egregio opere, cui titulus est: Specimen Vniuersæ Rei Nummariæ antiquæ ex Regio Ludouici Magni Thesauro. Imperatorem laureatum ad tripodem cum patera Sacra Dianæ peragentem refert, iuxta templum, siuè sacellum tetrastilon, in cuius medio Ephesinæ Deæ simulacrum extat, inscripto singulari, ac magnifico titulo ΕΦΕCIΩΝ ΜΟΝΩΝ ΑΠΑ⊃ΩΝ ΤΕΤΡΑΚΙ ΝΕΩΚΟΡΩΝ Ephesiorum, qui soli ex omnibus quater Neocori fuere. *De quo nummo ipsum Morellium consule.*

Quarta Tabula ex nummo Iuliæ Domnę, Ephesi Vrbis Genium, siue malis Amazonem Smyrnam nominæ, Vrbis ipsius conditricem, capite turrito, hastaque armatam repræsentat. Hanc & Reginam, & ipsius Deæ Sacerdotem fuisse tradit Strabo. De Tauro, qui ante Dianæ simulacrum sistitur. Vide supra Bouis symbola, ac mysteria ab Auctore expositа.

At ſi tantus fuit in ſubſtructione ſplendor, non minor fuit donariorum opulentia: quorum tanta fuit copia, vt nullum aliud ſiue diuitijs, ſiuè oblationibus cum eo conferri poſſet. Adde quòd ibidem tanquam in ærario tutiſſimo ditiſſimi quiq; theſauros reponebant. Sic Dion orat.xxxi. *Noſtis haud dubiè Epheſios, apud quos multæ pecuniæ priuatorum reconditæ in Dianæ templo non ſolum Ephefiorum ſed & hoſpitum, & hominum vndequaquè venientium, partim & populorum, & Regum, deponunt autem omnes ſecuritatis gratia; nemine vnquam auſo loco inferre iniuriam, tametſi plurima bella geſta ſint, ciuitaſquè ſæpiùs fuerit capta.* Ex quibus lucem accipient verba Lactrij in Xenophonte: *Proficiſcus*, inquit, *deinde Epheſum, dimidium auri, quod ſecum tulerat, Magabyzo Dianæ Sacerdoti ſeruandum tradidit, quoad reuerteretur.* Quanta autem in veneratione olim fuerit hoc fanum, vel hinc argui poteſt, quòd huic vni poſt omnia templa Aſiatica exuſta Xerxes Rex Perſarum pepercerit: quamuis immenſis opibus affluere ſciret. Cæterùm quidam Heroſtratus, vel vt alijs placet, Heroaſtus, vt nominis immortalitatem conſequeretur, eodem die, quo Magnus Alexander natus, flammis templum illud vaſtauit. Cuius incendij meminere Gellius lib. 2. cap. 6. Valerius Maximus lib.8. cap.15. & pleriquè alij: obliterato autem nomine incendiarij, ab vniuerſo Aſiæ conuentu reſtitutum eſt. Ac deinceps, vt Iulius Capitolinus ſcribit, vſq; ad Gallieni Imperatoris tempora integrum remanſit, ſub cuius imperio Gothis Aſiam inuadentibus templum ipſum penitus ſpoliatum, & incenſum eſt. Sed ante vltimum hoc incendium Nero Epheſinæ gazæ inhians Xerxis barbariem rabiemquè longè ſuperauit. Omnia quippe pretioſa dona, immenſam auri argentiquè vim, & ſimulacra inde, nec non ex omnibus Achaicis templis abſtulit, vt Tacitus lib.xv. teſtatus eſt. Huic demùm templo haud paruam celebritatem aſyli prærogatiua conciliauit. Id enim iuris habuit, vt qui ad illud confugiſſent, ſiuè ære alieno obſtricti forent, eo ſoluerentur: ſiuè tenerentur ſeruitute, liberi fierent. Idquè non ſolí templo conceſſum: ſed Alexander etiam ad ſtadium vſque priuilegium extendit. Mithridates autem paululum plus ſpatij addidit. Marcus Antonius maiorem etiam vrbis partem comprehendi voluit. Sed poſtea Auguſtus, vt flagitioſis impunitatis ſpes nulla eſſet, ſuſtulit. Epheſij religionis veræ ignari ſuperſtitionis ſcientiſſimi omne ſuum incrementum Dianæ numini ac eius templo acceptum ferebant. At abſurdiſſimis Epheſinæ Theologiæ dogmatibus exploſis, falſoquè numine repudiato iure maiori gloriari poſſunt Epheſij, quod Diui Pauli Apoſtoli trium annorum ſpatio auditores, miraculorumquè, quæ ibi operatus eſt, teſtes oculati eſſe meruerint: quod ipſorum Vrbs non

emen-

ementiti numinis ſed diuini præconis præſentia illuſtrata fuerit : qui non inuolucris & ambagibus ſupremi Dei cultum , vt illi portentoſi hierophantæ inuoluebat : ſed ſolida , & aperta veræ ſapientiæ documenta apertè diffundebat . Cuius beneficio Vrbs ipſa non iam omnigenum animalium ſeptum & ſtabulum , ſed diuini eloquij facta fuit ſacrarium , eius inquam eloquij & ſapientiæ , quæ non ex ſuperſtitioſa Aegyptiorum doctrina , ſed ex limpidis & ſalutaribus veri Dei fontibus fluxerat : quæ non illic omnium animantium nutricem ; ſed omnium parentem & conſeruatorem verum doceret . Nec minus ad Epheſiorum laudem facit , quod Ioannis Apoſtoli monitis , & cathedra inſignes Metropoliſquè honore decorati fuerint : quod in ea tertia Synodus œcumenica habita Neſtorium Verbi incarnati , & Beatæ Mariæ Dei genitricis hoſtem damnarit , quòd denique ipſa Genitrix Dei Maria Vrbem illam ſua præſentia cohoneſtarit . Procul igitur , procul Mezabolici & euirati miniſtri , ſiquidem puri & integri veræ fidei myſtæ Deo vero ibidem ſeruierunt . Huic honor ſit , & laus , & gloria in ſæcula .

FINIS.

LECTOR.

NE quid eorum, quæ ad religionem Ephesiæ Dianæ visa sunt pertinere, periret, Signa etiam atque Numismata, quæ ipsius Dianæ insignia non ineptè quis dixerit, excudenda curauimus. Tria Signa prima marmorea in ædibus Farnesiorum seruantur: quartum marmoreum apud Serennissimum Leopoldum Etruriæ Principem: alia duo marmorea apud Leonardum Augustinum Senensem: reliqua in gemmis Camilli Maximi Iunioris, atque Leonardi Augustini: quæ sequuntur Numismata ex Ceimeliotheca Barberina promuntur.


In aedibus farnesianis

In aedibus farnesianis



Præcedentis Statuæ Far. encarpus

Præcedentis Statuæ Fac. Latus dextrum et sinistrum



Apud Leonar. Augustinum



Apud Camil. de Maximus in gemma

Apud Leonar. Augustinum, in gemmâ

LVCAE HOLSTENII

EPISTOLA

AD FRANCISCVM

CARDINALEM

BARBERINVM

DE FVLCRIS SEV VERVBVS
DIANÆ EPHESIÆ
simulacro appositis.

ROMAE,
Apud Ioannem Baptistam Bussottum. MDCLXXXVIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

261

FRANCISCO
CARDINALI
BARBERINO

Optimo Studiorum Patrono.

LVCAS HOLSTENIVS FEL.

CVM eruditum opuſculum Claudij Menetreij domeſtici olim tui, ſolertiſſimi rei antiquariæ promicondi, ſingulari beneficio in publicam lucem proferri iuſſeris, quo Dianæ Epheſiæ ſtatuas ænigmatis reconditis inſcriptas luculenter explicauit; non abs re futurum exiſtimaui, ſi cogitationem de antiquis eiuſdem Dianæ numiſmatis pridem mihi ſubortam eadem opera ad te deferrem. Feci hoc eò libentius, & excuſatius vt ſpero, quòd argumentum Menetreio intactum, nec vlli Antiquariorum hactenùs obſeruatum complectatur. Tui autem iudicij hanc ſcriptionem facio, quòd nemo te rectius intelligat, quàm multiplicem vſum accurata antiquitatis cognitio ad reliquum omne ſtudiorum genus ornandum, augendumque præſtet. Cum enim recte iudicares, nihil in veterum ſcriptis tam abſtruſum, aut obſcurum deliteſcere, quin lucem aliquam à priſcis monumentis mutuari poſſit, ea tibi cauſa fuit, cur Bibliothecæ, quàm celeberrimam inſtruxiſti, veterum tabularum, ſignorum, numiſmatum, & inſcriptionum ſupellectilem copioſam adiunxeris; vt vniuerſam eruditæ antiquitatis memoriam doctorum hominum oculis ſpectandam ſubijceres. Nunc rem ipſam cognoſce. Nummi veteres Dianæ Epheſiæ effigie ſignati, quorum nonnullos tabellæ adiunctæ exhibent, eo a ſtatuis Menetreij induſtria productis differunt, quòd Deam mammarum

rum pondere onuſtam fulcris quibuſdam ſiue deſtinis, quos ſcipiones nodoſos exiſtimes, vtrinque ſubrigant. Eaque in re ita conſtanter conſentiunt omnes quotquot vidi, vidi autem quamplurimos, vt ſimulacrum Epheſium olim eodem modo ſuffultum fuiſſe omnino affirmandum putem. Neque vero ea de re nos dubitare permittit Minucij Felicis eruditiſſimi ſcriptoris locus, vbi Dianæ Epheſiæ ſignum mammis multis verubuſque extructum commemorat. Sed in loco iſto peruertendo Criticorum acumen mirificè hactenùs ſeſe exercuit: adeò quidem, vt niſi vindiciæ ex libris & monumentis antiquis opportunè dentur, poſthac futurus ſit inteſtabilis. Rem clarius explico, vt quàm infelicitèr Felix ab editoribus exceptus, habituſque fuerit, penitus perſpiciatur.

Princeps Romana editio a Fauſto Sabæo ad Vaticani codicis fidem procurata ità locum, quem dixi exhibet: *Diana interim eſt altè ſuccincta cenatrix; & Epheſia mammis multis & verubus extructa; & Triuia trinis capitibus & multis manibus horrifica*. Ita triplex vnius Dianæ numen notis, ſigniſque peculiaribus accuratè ex fabuloſa Gentilium theologia diſtinxit eruditus ſcriptor. Lectionem primæ editionis religiosè ſeruauit Baſileenſis, & Heidelbergenſis Franc. Balduini; tùm Romana poſterior, quæ ex Fuluij Vrſini recenſione prodijt; niſi quod coniecturam ſuam vir accuratiſſimè doctus margini appingens, non *verubus* ſed *vberibus* legendum moneat. Deſiderij Heraldi Pariſienſis aduocati editio duplex deinde Romanam lectionem expreſſit, ſed altera *veribus* vna literula mutata pro *verubus* exhibet, ex ipſo, vt notat, veteri manuſcripto, qui Leonis X. munificentia ex Vaticana Bibliotheca in regiam migrauit. Miſſus enim fuit codex ille ſingularis ad Franciſcum regem vna cum excuſo exemplari, quod eius nomini editores Romani inſcripſerant. Leuis illa mutatio Heraldum perpulit, vt ipſe vel *vberibus* cum Vrſino, vel *tuberibus* cum Ioſepho Scaligero legendum cenſeret; in priorem tamen coniecturam propenſior. Et hi quidem coniecturis eatenùs indulſerunt, vt textu Minuciano manus interim abſtinerent. At cæteri deinceps non æque fuerunt religioſi. Nam Ioannes Vvovverius, ciuis meus, doctrina & iudicio alioquin præclare inſtructus, Vrſini coniecturam ita amplexus eſt, vt in contextum Minucij pro veriſſima recipere non dubitarit. Huius exemplum poſtea Rigaltius Lutetiæ, & nuperrime iterata editione Bataui ſunt ſecuti. Nec parum præſidij huic confidentiæ attuliſſe videtur Iuſti Lipſij auctoritas, quem correctionem iſtam ad Taciti Annal. lib. III. comprobaſſe ſciebant. Et hi quidem omnes cum preſſo vſtigio Vrſini ſemitam calcaſſent, diuerſam inſtitit Geuerhartus Elmenhorſtius, homo ſane haud indiligens: qui Romanam lectionem mutare non auſus, traiectione verborum locum miſere luxauit in editione Hamburgenſi maiori, vbi Minucij

nucij verba ita deformata leguntur : *Diana interim eſt altè ſuccinctæ venatrix verubus exſtructa ; & Epheſia mammis multis ; & Triuiæ trinis capitibus &c.* Sed hæc leuiora ſunt præ illis, quæ iam ante ad eundem Minucij locum commentus fuerat Petrus Faber, celebris legum antiſtes, lib. III. ſemeſtr. cap. III. Is acri diſputatione laceſſens S. Hieronymum, quòd Dianam Epheſiam multimammiam a venatrice, quæ arcum tenet, alteque ſuccincta eſt, diſtinxerit; magno quidem ſed irrito conatu euincere ſtudet, Cererem mammoſam veteres nouiſſe, Dianam mammoſam ignoraſſe. Ideoque Minucij verba, ne Hieronymi cauſſam iuuent, diſtorquendo corrigendoque ſic interpolat : *Diana interim eſt alte ſuccincta venatrix Epheſia ; & mammis multis Ceres exſtructa.* Atqui hoc eſt, non deprauatum caſtigare locum, quod ipſe de ſe prædicat, ſed integrum corrumpere. Abſtinuiſſet vtique infelici concertatione tantus vir, ſi Dianæ Epheſiæ ſignum vetus, aut nummos, vel per tranſennam inſpexiſſet. Adiungam ſuperioribus celebrem nunc in Gallijs virum, fori huius antiquarij regem, Ioan. Triſtanum. Is tomo I. exhibet nummum ΚΑΔΟΗΝΩΝ, ſiue Caduenorum, (ita enim Stephano, Plinio, ſibique ipſi alibi vocari oſtendam) Dianæ Epheſiæ imagine ſignatum; eique illuſtrando vexatum Minucij locum ingenij periculum & ipſe facturus adducit. Repudiatis igitur verubus, quam non genuinam Minucij vocem, ſed Vvovverij, omnia alia ſentientis, commentum exiſtimat; vberibus quidem legendum cenſet, ſed longè alio quàm cæteri omnes ſenſu. Etenim cum inter mammas & vbera aut nullum, aut non niſi ineptiſſimum diſcrimen à grammaticis ſtatui rectiſſimè perſpexiſſet, ideoque vix ſine vitio tautologiam iſtam accurato, & preſſæ dictionis ſcriptori tribui poſſe, per quam ingeniosè mammas multas, vbereſque Dianæ Epheſiæ de turgidis multoque lacte diſtentis cenſuit explicandas. Quo quidem Vrſini, & quotquot eius veſtigia poſteà legerunt criticorum deprauationem apertè iugulat; Minucij tamen mentem non eſt aſſecutus, quòd recenti & interpolatæ editioni, quâ vſus videtur, fidem temerè adibuerit.

Cæterùm iſtis omnibus in perſpicuo Minucij loco oculos, mentemquè glaucoma præſtrinxit, quòd nequaquam exploratum haberent, quo ſignificatu verua antiquis linguæ Latinæ auctoribus propriè dicta acceptaquè fuerint. Cùm enim aſſatoria illa, ſiue transfixoria, vt Papias vocat, quorum in coquina vſus eſt, & quæ in Gallica Minucij interpretatione meritò ridet Triſtanus, ad Dianam Epheſiam extruendam nihil quidquam facere viderent; non niſi de verutis ſiue iaculis Dianæ venatricis Minuciana verua accipi explicarique poſſe vno omnes, quod miror, conſenſu cenſuerunt. Vnde factum, vt tot ſummi & incomparabiles viri ad vocem illam interpolandam certatim conſpirarint. Ego vero aduerſus coniuratum agmen

verua

verua iſta extra vitium eſſe affirmo, eaque nec Dianæ Epheſiæ, nec Minucio ſubtrahenda pertendo. Nam verua hæc quibus Dianam ſuam exſtruebant Epheſij, non pila aut veruta ſunt, ſed fulmenta ferrea oblonga, quæ brachijs ſuppoſita totam mammoſi pectoris molem ſuſtinebant.

Cum enim antiquiſſimùm hoc ſignum ad Aegyptiorum ſimulacrorum inſtar pedibus eſſet arctè compreſſis, tantilla baſis ſuperimpoſito corporis ponderi ferendo impar, adminiculis ſuffulcienda fuit; quibus ſubtractis vniuerſam molem fatiſcere & collabi neceſſum erat. Ea fulcra ſiue ſuſtentacula, quod ex ferro longius producta eſſent, Minucius propria & eleganti voce verua dixit, non ſequioris, quo vixit, ſed Auguſtæi ſæculi vſum ſecutus. Nam Gloſſarium Latinum optimæ notæ, quòd in tribus vetuſtiſſimis codicibus Vaticanis extat, verua virga & virgulas ferreas interpretatur. Eamque explicationem veram ac genuinam eſſe res ipſa me docuit: cuius etiam nunc te meminiſſe arbitror Eminentiſſime Cardinalis, quòd iuxtà mecum oculis eam olim vſurpaueris. Anni enim ſunt, ni fallor, quindecim, cum Ieſuitarum ſocietas ad S.Andreæ in Quirinali, dum nouæ ædificationis fundamenta moliretur, lapides aliquot Tiburtinos prægrandes ordine quadrato diſpoſitos offenderet: quorum duo ità erant inſcripti, vti cum te iubente & amminiculante ex ſaxo ſcabro, & male polito excepi.

HAEC. AREA. INTRA. HANCCE
DEFINITIONEM. CIPPORVM
CLAVSA. VERIBVS. ET. ARA. QVAE
EST. INFERIVS. DEDICATA. EST. AB
IMP. CAESARE. DOMITIANO. AVG
GERMANICO. EX. VOTO. SVSCEPTO
QVOD. DIV. ERAT. NEGLECTVM. NEC
REDDITVM. INCENDIORVM
ARCENDORVM. CAVSA

Cippi illi vtroque latere bina foramina, & veruum ſiue virgarum ferrearum veſtigia plumbo circumfuſa ſeruabant; quibus olim inter ſe coniuncti aream interiorem ità clauſerant, ne aditus vulgò pateret. Ibi tum reipſa perſpexi, egregiè falſum eſſe N. Rigaltium hominem naris emunctiſſimæ, dum ad Finium regundorum ſcriptores verua iſta ſtipites inſtar ſubularum præacutos explicat, quæ nihil acuminis, aut cuſpidis habuiſſe oculis manibuſque cognoueram. Eodem vetuſtatis ſenſu Marcellus, antiquus rei medicæ auctor, ſanguinis profluuio ex naribus ſiſtendo præſcribit cap.x. *Veru ferreum candens in aceto adſiduè extingue, & fumum eius naribus ducito.* Quis non videt ſimpliciter hìc & abſolutè ferri in virgam oblon-

oblongam producti maſſam intelligi, qua forma fere omne ferrum rude & infectum vulgo venit.

Verùm nihil ad Minucij mentem, & rei de quà agitur illuſtrationem adferri poteſt aptiùs verſibus Prudentij ex priori contra Symmachum carmine; quibus geminorum fratrum Caſtoris & Pollucis ſimulacra deſcribit eo habitu geſtuque, quò tunc in ſua ſibi æde ad viam ſacram viſebantur. Verſus iſti ſunt:

Gemini quoque fratres
Corrupta de matre nothi, Ledeia proles,
Nocturnique equites, celſæ duo numina Romæ
Impendent retinente veru; magnique triumphi
Nuntia ſuffuſo figunt veſtigia plumbo.

Graphice depingit Dioſcuros currentium geſtu ità effigiatos, vt extra perpendiculum & baſin prominentes ſpectantibus non ſine horrore, ac metu impendere viderentur. Impendent enim quæ ſuprà caput iamiam caſura pendent, vt rectè ait Valla. Timor autèm, & admiratio apud rude & ſuperſtitioſum vulgus religionis opinionem conciliabat. Eum metũ poëta Chriſtianus ridet, cum nullum eſſet ruinæ, aut fugæ periculum; quòd veru, hoc eſt vectis ſiue vncus ferreus a tergo infixus eos retineret, pedeſque baſibus applumbati moueri non poſſent. Duplex hoc retinaculorum genus, queis numinum ſimulacra veluti vinculis conſtricta defigebantur, Arnobius ſimilitèr lib. VI. nationibus exprobrat. *Si permanendi*, inquit, *neceſſitatem patiuntur, quid miſeriùs his eſſe, aut quid infeliciùs poterit, quàm ſi eos in baſibus ità vnci retinent & plumbeæ vinctiones?* Vtrumque etiam coniungit lex. 11. Dig. de ſepulcro violato. *Celſus quærit, ſi neque applumbata fuit ſtatua, neque adfixa, an pars monumenti effecta ſit, an vero maneat in bonis noſtris.*

Sed Prudentius quoque Minucij fatum & malam criticorum manum vt experiretur, eiuſdem vocabuli non ſatis recte obſeruata ſignificatio fecit. Vnde iam olim in peruetuſtis membranis Vaticanæ bibliothecæ, *retinente ſolo*, pro *retinente veru*, ſubſtitutum videre eſt: quàm lectionem Aldus, alijque eius fidem ſecuti expreſſerunt. Georgius autem Fabricius, cum in ſuis exemplaribus, *retinente veru* conſtanter ſcriptum reperiſſet, nec tamen proprium vocis vſum apud veteres ſatis haberet perſpectum, ad correctionem, ſacram criticorum ancoram, confugit. Quocirca cum Dioſcuros haſtis ſiue pilis ad decurſionem volgò armari ſciret, veru hoc ex rudi & obtuſo ferro in verutum cuſpide ſpicauit; & interpolata dictione, *impendent*, *retinentque veru*, de ſuo quo pollebat ingenio procudit: eaque lectio exinde pleraſque recentiores editiones infedit. Tàntum vero abſum eam vt probem, vt contra priſcam & genuinam mordicus tueri

non

non dubitem, cùm rei ipſius perſpicuitate, tùm veterum librorum auctoritate fretus: in quibus facilè principem ſtatuo codicem præſtantiſſimum Vrbinatis Bibliothecæ, quæ nuper Alexandri Septimi ſapientiſſimi Pontificis immortali beneficio Vaticanæ acceſſit; in quo ità ſcriptum, reperi.

Hæc ad Dianæ Epheſiæ ſtatuas, nummoſque veteres illuſtrandos ſcripſi vt mutua eorundem ope duo veterum ſcriptorum loca minùs rectè hactenùs intellecta à criticorum corruptelis vindicarem: tùm verò vt illuſtri exemplo oſtenderem, antiquitatis ſtudium non metiendum inani delectatione, ſed ſuum illi conſtare fructum ſi rectè colatur.

FINIS.

Nummus Antonini Pii



Commodi



M. Aurelij

Commodi

Seueri

Vespasiani



Domitiani

Domitiæ

Domitiani

Nummuſ Domitiani

Domitiani

Gordiani Pii

Sabinæ

Antonini Pij

Fauſtinæ

M. Aurelij

Plotinæ

Domitiæ



IO. PETRI

BELLORII

NOTÆ

IN NVMISMATA

TVM EPHESIA, TVM ALIARVM VRBIVM

APIBVS

INSIGNITA.

De Ape, ac Lyra

Aſpice dulcis Apis, Lyra dulcis in Aſtra locantur:
Hæc cantu, illa fauis, munus vtrumque Deum.

I

AE

II

AR

III

AR

IV

AR

V

AR

VI

AR

I

AR

II

AR

III

AE

IV

PL



V

AR

VI



AE

I
II
III
AR
AR
AR
ΒΑΣΙΛΕΩΝ
ΑΥΣΙΜΑΧΟΥ
ΑΥΣΙΜΑΧΕΩΝ
Μ
ΦΙΛΕΤΑΙΡΟΥ
ΑΡΚΑΔΙΩΝ
ΔΗΜΟΣ
IV
V
VI
AR
AR
AR
ΑΛΚΑΙΟΜ
Ε
Φ
ΒΡΕΤΙΩΝ
ΔΥΡ
ΜΤΙΑ
ΝΟΜ
ΤΩ
ΑΡΜΟΝΙΟΥ

I

II

III





IV

V

VI

I

AE

II

AR

III

AR

IV

AE

V

AR

VI

AR

I

{AE}

II

{AE}

III

{AV}

IV



{AR}

V

{AE}

VI

{AR}

Nummus Antonini Pij ex Thesauro Christinæ Reginæ





Ex Dactyliotheca Barberina

Aristomachus Apum Speculator

3

ex nummo Gordiani Pij

2

ex nummo Commodi

1



Antiqua ænea lucerna in Museo Io: Petri Bellorij

APVM AVSPICIA

EMINENTISS. AC REVERENDISS. PRINCIPI

FRANCISCO BARBERINO

CARDINALI.

APVM auſpicijs cæptum abſoluendum eſt opus, Eminentiſſime Princeps, quibus regnantibus, Roma, atque Chriſtianus orbis vniuerſus rores melleos, è cælo cadentes, diuinum nectar excepit. Fabula eſt Præneſtæ tuæ ſortes, quondam melle nobilitatas: BARBERINAE APES dulcioribus mellificantes fauis, nunc ſanè nobilitant: fas erit tamen miraculum illud, inter vetera auſpicia, ex Cicerone recenſere: *eo loco vbi nunc fortunæ ſita ædes eſt, mel ex olea fluxiſſe dicunt, Haruſpicesque dixiſſe ſumma nobilitate illas ſortes futuras*. Quid de Platonis, ac Pindari infantia? fama eſt quoque vagientis Iouis ore mellificaſſe Apes nutrices, regnique eius augures extitiſſe:

Dictæo Regem cæli pauere ſub antro.

Iuſtinus de Hierone: *paruulum, & humanæ opis indigentem, Apes congeſto circa iacentem melle, multis diebus aluere, ob quam rem reſponſo Haruſpicum admonitus pater, qui Regnum infanti portendi canebant, puerum recolligit, omnique ſtudio ad ſpem maieſtatis, quæ promittebatur inſtituit*. Apes Antonini ſtatuis inſidentes eidem Imperatori futuro augures fuerunt. Capitolinus: *eius ſtatuas in omni Hetruria examen*

Apum repleuit : quare Artemidorus : *Apes insidentes capitibus significant futuros duces atque Imperatores* . Dionysio quoque examen Apum considens in equi iuba, Imperij, fuit præsagium. Aelianus : *Cum apprehendere eius iubam ad ascendendum, Apum examen continuò manum circundedisse, atque de his interroganti, respondisse Dionysio, Galeotas Monarchiam ea re præsignificari* . Apes *sedisse in castris Drusi Imperatoris* memorat Plinius : *cum prosperrimè pugnatum apud Arbalonem est* Iulianus Episcopus de Vvamba in Hispaniæ Rege : *Hic regio iam cultu conspicuus ante altare diuinum consistens, ex more fidem populis tradidit, deinde curuatis genibus, oleum benedictionis, per sacri Quirici Pontificis manus, vertici eius refunditur : & benedictionis copia exibetur; vbi statim signum hoc salutis enituit : namque mox è vertice ipso, vti oleum ipsum perfusum fuerat, euaporatio quædam fumo similis, in modum columnæ sese erexit, & ex capite ipso Apis visa est prosiluisse, & aeris alta petisse, quæ, vtique signum fuit secuturæ felicitatis* . & Rodericus Toletanus : *Visa est Apis de ius capite prosiluisse, & ad cælos continuò euolasse : & qui diligentius cogitabant, intelligebant, per eum Gothorum regnum feliciter exaltandum, & in pacis dulcedine gubernandum* . His Childerici Francorum Regis regias Apes subnectam, quas desumpsimus ex Io: Iacobi Chifletij eruditissimis commentarijs in eiusdem Regis Anastasim, siuè Thesaurum sepulcralem Tornaci Neruiorum effossum . Inter cimeliorum reliquias, Apes supra tercentæ inuentæ sunt, quondam Francorum Regum insignia, postea in Lilia (quæ nunc sunt) commutatæ . Multa ad probandum Chifletius adducit argumenta : Apes aureæ, aurea Lilia : cælestia Lilia, cælestes Apes : Lilia in æthere pinguntur, Apum campus æther : Lilium Regium flos, Apes Regiæ. Quemadmodum ergo regalia Childerici antiquitus aureæ insigniebant Apes, expansis alis, veluti ab æthere deductæ, sic aurea modò in æthere ipso splendent Lilia, Apes ipsas deciduas imitantia . Cæterum post Childericum Regem, symbolicas Apes primus palam vsurpauit Ludouicus XII. Rex Francorum stirpe Valesius . Io: Baptista Mantuanus de triumphali eius introitu in Ciuitatem Genuensem anno MDVII. ità cecinit :

In medio Rex victor equo sublimis in alto
Murice conspicuus, rutilanti splendidus auro
Signabatur Apum sparsim toga tota figuris;
Cumque Apibus Regnator Apum fulgebat in ostro.

Henricus III. Rex Valesiorum postremus ijsdem Apum impressa typis, bina edidit numismata : alterum argenteum hoc præfert lemma PLEBIS AMOR . REGIS CVSTODIA : alterum aureum : REGE INCOLVMI MENS OMNIBVS VNA. Postremò Henricus IV. Rex

Bor-

Borboniorum primus anno MDCVIII. aureum numiſma cudit cum Apibus Regem ſuũ ſtipantibus,& hoc ſymbolo AMORE NON TERRORE.

Hinc cætera inter animantia, Apes tantum Regem ſuum ſummo ſtudio, ſummaque veneratione proſequuntur : hinc *regias Imperatoribus futuris extruunt amplas, magnificas, ſeparataſque domos* : Hinc *celſior regibus ipſis in fronte macula, quodam diademate candicans* : vt Plinius, & Virgilius diligentiſſimè ſpeculantur:

Præterea Regem non ſic Aegyptus, & ingens
Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaſpes,
Obſeruant ; Rege incolumi mens omnibus vna eſt.

Et vt Medus ille, Cyrum Apum Regi comparando : *mirificus eis amor erga principem*.

Nec tantùm Regna, & Imperia, verùm etiàm Heroas, & diuinitatem portendi ab Apibus ttaditum eſt. Herodianus : *Oneſilo contigit diuinitas, eique ſacrificia quot annis ſunt inſtituta; propterea quod in eius defuncti caput Apes mel cogeſſiſſent.*

His quidem ſignis, atque hæc exempla ſequuti
Eſſe Apibus partem diuinæ mentis, & hauſtus
Aetherios dixere.

Sed iam in Hymetto, ſacra litaui, Eminentiſſime Princeps, nunc Apes tuas, in Heliconijs Muſarum collibus, omni genere doctrinæ virentibus, immortali tymo, ac rore, depaſtas colo; ſolemnemque tuum illum in literas, ac literatos, tutelarem genium veneror, quibus, & dulciſſima mella inſtillas, & fauos. Patere verò Apes ipſas, argumento, auſpicioque regias, humili me, rudique ſtylo, complexum: patere, auſpicibus ipſis, me nomini tuo vota nuncupaſſe, cui dudum obſequium omne meum, & cultum deuoui.

Emin. Tuæ

Obſeruantiſs. humillimuſq; ſeruus
Io. Petrus Bellorius.

TABVLA I.

I. PIS Dianæ ſymbolum. Exaduerſo: ΕΦ.ΕΦΕCIΩΝ *Epheſiorum*. Lyra Apollinem refert. Porrò hi ſalutares Dij ijſdem titulis, & pari veneratione colebantur; omniumque primi Epheſij (Deli fabula repudiata) Apollinem, ac Dianam apud ſe natos gloriabantur. Tacit. Ann. l. III. *Primi omnium Ephesij adiere memorantes, non vt vulgus crederet, Dianam atque Apollinem Delo genitos, esse apud se Cenchrium amnem, lucum Ortygiam, vbi Latonam partu grauidam, & Oleæ quæ tum etiam maneat, adnixam edidisse ea numina*. Epheſijs præterea celebris cultus fuit Lariſſæi Apollinis, cuius templum, in ipſorum agro commemorat Strabo. Multiplex verò eſt ratio, qua Apis Epheſiæ Artemidi conſecrabatur; namque illa virginitatem colit, rorem Lunæ ex floribus legit; atque Epheſinæ Cereri ſummoperè grata eſt, vt Menetreius adnotauit in Apis hierogrammatiſmo, & infra ex alijs Epheſiorum nummis, eodem hieroglyfico inſignitis abundè patebit.

II. ΕΦ. *Epheſiorum*. Apis, vt in ſuperiori nummo; exadauerſo: ΜΕΝΙΠΠΟΣ *Menippus*, & Ceruus animal Dianæ venatrici dicatum: quare ipſa Dea Elaphica Homero ἐλαφηβόλος, & Euripidi ἐλαφοκτόνος, ſeu Ceruicida fuit cognominata. Libanius or. XXXII. aſſerit Epheſiorum moris fuiſſe Ceruam inſculpere ſuis nummis, ob beneficia in ipſos à Diana collata. *Apud Epheſios etiam nummus Ceruam expreſſam fert, pro remuneratione magnorum Deæ beneficiorum*. De Palma arbore in ſequentis tabulæ V. nummo infra dicendum.

III. ΕΦ. *Epheſiorum* ΕΥΚΡΙΤΟΥ *Eucriti*. Nomen Græcum, quod diuerſum in diuerſis nummis Epheſiorum legitur, ſine dubio, eius eſt, qui ſummo cum honore, Dianæ templo, ſacriſque præerat; ſiue ille Aſiarches, (vt quidam exiſtimant) ſiue potius Grammateus fuerit; vtriuſque enim mentio extat in actis Apoſtolorum cap. XIX. vbi de huius templi, numiniſque cultu, ac veneratione agitur. Nam ſcribæ ſiue Grammateos magna iſthic conſpicitur auctoritas, in reprimendo populi impetu, & ſeditione, religionis causâ, exorta, ſedanda. Apuleius quoque l. XI. inter Iſiacos Sacerdotes, vnum præcipue Grammatea dictum commemorat. Ad hæc in nummis antiquis Grammateos tanquam præcipui Magiſtratus

nomen

nomen legitur ; Asiarcham verò non Prouinciæ Præfecturam, sed præcipui Sacerdotij munus gessisse, eruditè admodum summi viri, & antiquitatis vniuersæ peritissimi Antonius Augustinus ad Modestinum de Excusat; & Iacobus Cuiacius ad l. 1. responsorum Papiniani iam pridem docuerunt ; præerat siquidem Asiæ Communibus Sacris, Ludis, ac publicis Conuentibus. Nummos verò, nec dum editos ab alijs, quò rariores, eo libentius hisce notis atteximus ex Gotifrediando Museo, nunc Augustæ Christinæ Reginæ.

Nummus Triumuirorum ΕΦ. ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ. ΓΡΑΜ. ΓΛΑΥΚΩΝ. ΕΥΘΥΚΡΑΤΗΣ *Ephesiorum Archiereus Grammateus Glaucon Euthycrates*. Hic idem primus flamen, & Grammateus fuisse videtur.

Nummus M. Aurelij ΕΠΙ. ΕΥΑΡΕΣΤΟΥ ΓΡΑ. ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. *Sub Euaresto Grummateo Trallianorum*. Asiarcham autem nummus Smyrnensium refert ΕΡΙ. Μ. ΑΥΡ. ΤΕΡΤΙΟΥ. ΑCΙΑΡΧΟΥ. CΜΥΡΝΑΙΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ΑCΙΑC. *Sub Marco Aurelio Tertio Ascarcha Smyrnensium Principum Asiæ*.

Et nummus Bassiani Antonini Λ. ΑΙΛ. ΠΙΓΡΗC. ΑCΙΑΡΧΗC. Γ. ΑΝΕΘΗΚΕΝ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΝΕΩCCΡΩΝ. *L. Ael. Pigres Asiarcha* III. *posuit Laodicensium Neocororum*.

IV. Caput laureatum, alatum Victoriæ est, sin malis Mercurij, & Apollinis vnitatem, & connexionem, in ipso exprimi. Horum numinum communem aram, in templo Iouis Olympij fuisse tradit Pausanias, ac de Mercurio Sole plura docet Macrobius, & ex eo, alijsque Aleander. Tridentis, & Apis notæ indicant nummum ipsum cusum in aliqua Siciliæ, aut mari adiacenti ciuitate : quòd enim sit in marinis locis præstantius mel esse Plinius obseruat, & infrà patebit ex alijs nummis Apis emblemate decoratis, ad indicandam mellifluam, felicemque regionis vbertatem. In aduersa nummi parte quadriga impressa est, cum Victoria, & litteris : L. IVLI. BRVSI, de quo consule Fuluuium Vrsinum.

V. Romæ caput galetum, cum nota x. quæ denarij nota est : exaduerso Apis, de qua in antecedenti nummo. Biga, & quadriga celebritatem ludorum designat : vnde bigati, & quadrigati.

VI. Apollinis caput laureatum, cum Apis, ac tridentis nota, vt in IV. superiori nummo extra vrbem cuso. Adiecta est littera K singularis, quemadmodum nummi alij, dupplici, vel vnica littera signati reperiuntur, vt ΚΟΡΑΣ, per vnicum K adnotatur. In altero huius denarij latere P. CREPVSI. IIIIXX. inscriptum est, quem Crepusium Triumuirum monetæ eundendæ fuisse Vrsinus autumat. Eques hastatus victor Celete, siue desultorio equo videtur, siuè Crepusio-

puſiorum aliquis Equeſtri Statua donatus, ex eiuſdem Vrſini ſententia.

TABVLA II.

I. CAput caprina pelle velatum Iunonem Soſpitam præfert, quæ Lanuuij colebatur: de ipſa Ouidius l. 6. faſt. & Cic. pro Murena, & lib. 1. de leg. *Tam hercle* (inquit) *quam tibi illam noſtram ſoſpitam, quam tu nunquam, ne in ſomnis quidem vides, niſi cum pelle caprina, cum haſta, cum ſcutulo, cum calceolis repandis*. Pegaſus, qui in altero latere impreſſus eſt, Syracuſis, nummum fuiſſe cuſum demonſtrat; cuius vrbis Pegaſus fuit inſigne, quemadmodum Apes in Syracuſijs, alijſque Sicularum Vrbium nummis exhibentur. L. PAPI. *Lucius Papius* Triumuir fuit monetalis, qui vt Papiam gentem Lanuuio oriundam indicaret, Lanuuinæ Iunonis ſimulacrum in denarijs expreſſit.

II. ΝΕΟΠΟΛΙΤΗΣ. *Neapolis*. Bos humano ore conſpicuus Hebo eſt Neapolitanæ præcipuum, aliarumque Campaniæ, & Siciliæ Vrbium tutelare numen: de quo Macrobius: Apollinem, Liberumque vnum, eundemque Deum eſſe probans: *Item liberi patris ſimulacra partim puerili ætate, partim iuuenili fingunt. Præterea barbatà ſpecie, ſenili quoque, vt Græci eius, quem Bacchapæam, item quem Briſſæa, appellant, & vt in Campania Neapolitani celebrant Hebona cognominantes*. Eiuſdem numinis ratio, & figura, promiſſa barba, ad radiorum ſimilitudinem, virtutem Solis in terrena demonſtrat. Victoria quæ ſuper Hebonis caput coronam præfert, Ludorum Quinquennalium celebritatem appingit, de quibus Strabo l. v. Neapolim ipſam deſcribens. *Hoc tempore ſacrum Quinquennale certamen, Muſicum, & Gymnicum, per aliquot dies agitur, ludis Græcorum nobiliſſimis æmulum*. Apis Campani mellis eſt index; Campania etenim, ob roſarum, florumque præſtantiam præcipuè commendatur. Muliebre caput exaduerſo impreſſum Cererem, ſeu Dianam repreſentat, cum in alijs nummis ſimilibus legatur APT. *Artemis*, quæ Diana eſt Lucina, vt conijcere licet ex puſilla imagine, retro facem præferente.

III. ΕΦ. ΣΚΩΠΙ. *Epeſiorum Scopi*: in auuerſo latere ΚΗΡΙΑΙ. ΕΩΑΣ. ΠΡΟΣ. ΠΑΛΥΡΙΝ. *Cerificantes orientalis ad Palurin*, quem ſiue montem, ſiue flumen eſſe credi poteſt, ſed felicioribus ingenijs diuinandi locum relinquimus.

IV. Apis

IV. Apis ab vno, ab alio latere Formicæ binæ : nummus eſt, ſiue teſſera plumbea ſine literis, ſedulitatis, & induſtrię ſymbolum continet Apem, & Formicam, quo etiam ipſæ ſacræ literæ vtuntur, vt Virgilium, Iuuenalem, alioſque tranſeam, Phocilides.

Nil bene, ſi deſit, geritur, ſudorque, laborque,
Non ipſiſque Deis : virtus ſudore iuuatur.
Victum deſertis antris, telluris egentes
Formicæ vadunt, redeuntque per inuia, quando
Deſectæ campis, complent, nunc horrea fruges,
Hordea conuectant tritici, vel grana labore
Aſſiduo, ſequiturque ferens ſua dona ferentem.
Inque hyemem victum proprium de meſſe reponunt.
Impigrum, paruumque genus, inultique laboris
Tractat APIS ſtudioſa ſuum, prudenſque laborem,
Siue cauę in petræ ſpeleo, in arundinibuſue,
Stat in ventre caui, iucundo Roboris antro
Floribus efficiens, bene olentia cerea tecta.

Sanctus Paulinus ep.xxx. *Quantum de rure ad eruditionẽ animæ trahi poſſit, ipſa rerum opifex Sapientia docet, cum ſectatores ſuos ad Formicam, & Apem mittat, quæ vtraque ruris animalia ſunt : illa de fruticibus vitæ prouida, & iſta de floribus mellis operaria.*

V. ΕΦ. *Epheſiorum* ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ *Demetrius*. Palma arbor, in hoc alijſque Epheſijs nummis ſignata, Latonæ partũm, ac Dianæ natale teſtatur, vt præter Homerum, Theognis poëta Latonam parturientem Apollinem, & Dianam, palmam manibus fuiſſe complexam canit. Erat apud Epheſum lucus Ortygia, vbi Latona partu grauida Dianam edidit ; Apollinem tamen in Delo natum canit Homerus hym. in Apol.

Salue ò beata Latona, quoniam peperiſti præclaros liberos,
Apollinemque regem, & Dianam ſagittis lætam :
Hanc quidem in Ortygia, illum verò aſpera in Delo.
Inclinata ad longum montem, & Cynthium collem
Iuxta Palmam.

Pauſanias l.VII.cap. IX. Palmas in Ionia naſci affirmat, Ionumque regionem cæli clementia frui, quod idem colligitur etiam ex Strabone l.XIV. & ex Dionyſio Periegete. Apud Franciſcum Gottifredum V. C. Extat Gordiani nummus, cum Diana Epheſia in naui, cuius prorę Imperator inſiſtens, coronam eius capiti imponit cum epigraphe ab vno latere AYT.K.M.ANT.ΓΟΡΔΙΑΝΟC. *Imperator Cæſar Marcus Antonius Gordianus* ab alio ΕΦΕCΙΟΝ ΚΑΙ-

ΑΛΕ-

ΑΛΕΧΑΝΔΡΕΩΝ. ΟΜΟΝΟΙΑ. *Epheſiorum, & Alexandrinorum concordia*. Ex quo poſſet conijci Palmam Alexandriæ ſymbolum eſſe, cum Dianæ Epheſiæ ſimulacrum tot hieroglyphicis inſigne ab Iſiacis Hierophantis ex Aegypto in Ioniam traductum videatur.

VI. M. ΟΠΕΛ. ΑΝΤ. ΔΙΑΔΟΥΜ. Κ. *Marcus Opelius Antoninus Diadumenianus Cæſar* ΕΦ. *Epheſiorum*. Alter nummus, in honorem patris Macrini, ab Epheſijs fuit cuſus, cum literis ΕΦΕCΙΟΝ ΠΡΩΤΩΝ. ΑΣΙΑΣ. *Epheſiorum Principum Aſiæ*, ob aliquod beneficium in Epheſios ab Imperatore collatum.

TABVLA III.

I. CAput Lyſimachi diademate, atque arietinis cornibus exornatum, quæ Regum Macedonum erant inſignia, ad imitationem Alexandri Magni, qui Iouis Ammonis filius haberi, & cognominari voluit. In auerſa parte nummi appicta eſt, imago Palladis victricis, cum literis .ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ. ΛΥΣΙΜΑΧΕΩΝ. *Regis Lyſimachi Lyſimachenſium*, in memoriam Regis ipſius Vrbis conditoris. Fuit Lyſimachia celebris ciuitas, in Thraciæ Cherronenſi faucibus.

II. Caput laurea redimitum Phileteri eſt, ludrico certamine victoris. In auerſa parte inſcriptum eſt: ΦΙΛΕΤΑΙΡΟΥ *Phileteri*. Hic Eunuchus Lyſimachi, eiuſdem theſauris, Pergamoque vrbe validiſſima potitus, Attalicorum Regum fuit auctor, vt fusè narrat Strabo. Pallas victrix coronam præfert, quemadmodum in antecedenti nummo, & Lyſimachiæ cuſum denarium oſtenditur, vt ex nota M. quę in tres literas diuiditur ΛΥΣ *Lyſimachenſium*.

III. ΑΡΚΑΔΙΩΝ ΔΗΜΩΣ *Arcadum populus* Caput laureatum Lycei Iouis eſt ſimulacrum: Arcades enim ab Ioue genus ducere, ipſumque in Lyceo monte educatum aſſerebant. Aquila Iouis aliger eſt, infra quam Apis cernitur mellifluæ regionis argumentum. Cuſus fuit hic nummus ab Arcadum populis, fortaſſe Megalopoli, ſic enim vocabant magnam Vrbem, in quam coierant aliæ Vrbes Arcadiæ.

IV. ΒΡΕΤΙΩΝ *Brutiorum*. Iupiter haſtæ innixus pedem ſuper columnæ epiſtylium tenet: ab alio latere, caput Iunonis apparet, cum Apis teſſera in feraciſſimo regionis agro. Iuno autem hæc, ſine dubio, Lacinia eſt, cuius templum celebre, propè Cotronem extra-

extabat, ſanctum omnibus circa populis, vt ait Liuius lib. XXIV.

V. ΔΥΡ. ΣΤΡΑΤΩΝΟΣ. Hic, & ſequentes nummi ΔΥΡ. ſyllaba inſcripti ΔΥΡΡΑΧΙΩΝ *Dyrrachium* notant. Stephanus hanc Vrbem Illyricam, antea Epidamnum dictam memorat ab Epidamno heroe. Strabo ſic: *Epidamnus à Corcyrræis condita, quæ nunc à peninſula, cui impoſita eſt, nomen Dyrrachij tenet.* Figura quadrata ad ſimilitudinem aræ ſtructa conſpicitur ΣΤΡΑΤΩΝΟΣ nomen eſt Prætoris, ſicuti ΑΛΚΑΙΟΣ *Alcæus*, alterius magiſtratum gerentem notat. Boues præcipue magnos fert Epirotica terra, quas Pyrricas vocant, ipſiſque laudem maximam auctores tribuunt, quare Bos cum lactente Vitulo, impreſſa eſt in denario, ad indicandam quoque agri fertilitatem; ac pari emblemate Apis mellis copiam præbet, vt ſequenti Tabula clarius patebit, ex aluearijs, in conſimili numiſmate inſculptis.

VI. ΕΦ. *Epheſiorum* ΑΡΜΟΝΙΟΥ *Armonij*. Ceruus, & Palma, de quibus in præcedentibus.

TABVLA IV.

I. ΔΕΛΦΟΥ *Delphi*. Semicapra in hoc nummo ſignata eſt, fortè quod hoc animal primum oraculum Delphicum manifeſtauerit vt notat Ludouicus Nonius, Diodori nixus auctoritate. Tradit etiam Pauſanias in Phocicis Cleonęos peſtilentia laborantes, oraculi monitu, ſole primum Oriente, Caprum immolaſſe, ac ſedata lue, æneum Caprum Apollini Delphico obtuliſſe. Pharetra Pythij Apollinis inſigne eſt Pythonem iaculantis, in cuius honorem Pęana inſtituta ſunt. Apis Dianæ dicata eſt, ipſamque Epheſinam Deam deſignare videtur. Sed fortè Apum aliud extat argumentum; quippe proditum eſt ædiculam Delphici Apollinis ab Apibus è cera, & pinnulis fuiſſe compactam, vt Pauſanias refert ΞΕΝΩΦΑΝΗΣ *Xenophanis* Delphici Prętoris nomen eſt.

II. ΔΥΡ. ΟΒΡΥΜΟΥ *Dyrrachium Obrimi*. De hac vrbe in antecedenti Tabula dictum eſt. In auerſa nummi facie, aluearia bina, totidemque Apum examina appicta ſunt, quæ dubio procul, feraciſſimi, & ditiſſimi agri vbertatem indicant. Nam pręter Bouem, & lactentem Vitulum in ſingulis Dyrrachij nummis, ſiue ariſta, ſiue botrus vue, ſiue aratrum impreſſum eſt. Præ cæteris verò Dyrrachienſis ager, mellis diuitijs, & Apum gloria ſeſe

efferebat , vt in hoc, aliiſque nummis , mellifluo ſtemmate decoratis .

III. ΔΥΡ. ΔΑΜΗΝΟΣ *Dyrrachium Daminus*, exaduerſo ΦΙΛΩΝ *Philo* . Spica, & Apis vbertatis ſymbola ſunt, vt in antecedenti nummo adnotatum eſt .

IV. M. PLAETORIVS . CESTIVS . Sortis, ſiue Fortunæ ſimulacrum cum teſſera SORS . Denarium hunc extra Vrbem cuſum ſuſpicari poſſumus, quod Apis in eo ſit impreſſa . Non omittam felix mellis præſagium de Prænestinis ſortibus, de quo Cicero l. 11. de Diu. *Eo loco vbi nunc fortunæ ſita ædes eſt, mel ex olea fluxiſſe dicunt, Haruſpiceſque dixiſſe, ſumma nobilitate illas ſortes futuras* .

V. ΒΟΙΩΤΩΝ *Boetorum* . Apis, & Ceruus Epheſiæ Dianæ ſtemmata ſunt . Eiuſdem Deæ fanum in Boetia extitiſſe credibile eſt, ad eius quod Epheſi erat, exemplar conſtructum, vt in alijs permultis Græciæ ciuitatibus .

VI. ΔΕΛΦΩΝ *Delphorum*, vt in nummo ante adnotato .

TABVLA V.

I. ΕΥΚΡΙΤΟΥ *Eucriti* . Stat Ceruus ad Palmam, eodem nomine, quo tertius primę Tabulæ Epheſius nummus inſcriptus eſt . Auerſa facies Apem in laurea corona præfert, in Pythijs Epheſij victoris index , ſiue argumentum eſt ſolemnium ipſius Deæ ſacrorum . Refert quippe Macrobius ex Alexandro Aetolo, quanto ſtudio populus Epheſius, dedicato templo , Dianæ curauerit , prænijs propoſitis , vt qui tunc erant Poëtæ ingenioſiſſimi , in Deam carmina diuerſa componerent .

II. ΜΕΣΣΑΝΙΩΝ *Meſſanenſium* . Lepus in pleriſque Meſſanæ nummis impreſſus eſt, eiuſdem Vrbis animal inſigne . Apis deſignat mellis præſtantiam, qua plurimum Sicilia à Plinio commendatur . Rheda iunctis Mulis acta, ſacros ludos repræſentat, de quibus Pauſanias . *Inter rhedarum, & carpentorum aurigas tantum intereſt, quod his alia ſunt inſignia, & maſculos equos agitant: rhedam trahebant Muli iugales bini, inuento neque eleganti, neque priſco* . Ageſias victor curru Mularum in Olympijs à Pindaro luadatur .

III. ΕΦ. ΧΟΡΙΣΚΟΣ *Epheſiorum Choriſcus* .

IV. ΑΠΤΑ *Apta* . Quid hoc nominis ſit, aut quo referendum, pro certo

certo affirmare non ausim; si tamen loci, aut ciuitatis alicuius nomen existimemus, non aliam quam Aptam Iuliam deinde cognominatam Coloniam, in Prouincia Narbonensi, non longe supra Massiliam, & Aquas Sextias sitam reperio. Cuius suspicionis causam dupplicem habeo; primum quòd ciuitates illæ Græcæ originis, nummos quoque suos Græcis literis inscripserint; tum verò quod omnis illa Galliæ, & Hispaniæ ora Dianæ Ephesiæ cultum à Massilienſibus Ionum Asiaticorum colonis acceperint, vt Strabo non vno loco indicauit. De hac Apta Iulia Colonia à Iulio Cæsare deducta in Prouincia: vide Iacobum Sponium in suo eruditissimo opere, cui titulus est *Miscellanea Eruditæ Antiquitatis*, duas afferens Inscriptiones eiusdem Colonię.

V. META. *Metapontinorum* ex celebri magnæ Græciæ ciuitate Metaponto, quos genus ab Heraclidis duxisse hic nummus indicat: in cuius larere aueiso legitur ΗΡΑΚΛΕΙΔΩΝ *Heraclidarum*. Sita fuit in vbere regione melle, & frugibus nobili, vt Apis, & Arista indicant. Caput galeatum alatum imago est Metabi Herois, huius Vrbis conditoris, de quo Stephanus, & alij ad principium Velleij Paterculi.

VI. ΕΦ. ΝΙΚΟΛΟΧΟΥ *Ephesiorum Nicolochi*.

TABVLA VI.

I. ΜΕ. *Megarensium* interpretandum opinior cum Paruta, qui hunc nummum inter alios Megarensium Siculorum exhibuit, in quibus itidem Pallas insculpta cernitur; Megara enim à Megarensibus Atticæ regionis nomen, & originem duxit, in quorum arce (vt Pausanias refert) templum, & signum Mineruæ extitit, ipsiusque delubrum Deæ Victoriæ cognomento. Hæc verò Sicilienſis ciuitas Hybla, aut Megara Hyblensia vocata, de qua ad sequentem nummum.

II. ΜΕΓΑΛΑΣ ΥΒΛΑΣ *Magnæ Hyblæ*. Celebris est Hyblæi mellis præstantia; magnæ verò cognominis causam sic refert Pausanias: *Fuere Hyblæ Siciliæ ciuitates duæ Gereatis cognomine vna, altera maior. Retinent hac etiam nunc ætate prisca nomina, & earum altera in agro Catanensi planè deserta est: altera in ipsdem finibus, ad vici formam redacta. In hac fanum est Siculorum celebritate religio-* I. p. 334.

ligioſum Deæ quam Hybleam vocant, dicatum. Deæ Hybleæ imago, ſine dubio eſt, quæ in nummo conſpicitur.

III. ΙΕΡΩΝΟΣ *Hieron*. Biga Pythiam, ſeu Olympiacam Hieronis deſignat victoriam, cuius etiam in VI. huius Tabulæ Syracuſio nummo quadriga eſt nota. De curru Hieronis in Olympijs dedicato hæc memorat Pauſanias: *Sunt etiam ſua de Olympicis victorijs Hieronis monimenta Dinomenis filij, qui fratri Geloni in Syracuſanorum tyrannide ſucceſſit. Hæc dona non ſunt ab Hierone miſſa, ſed votum Deo perſoluit Dinomenes Hieronis filius. Currus Onatæ Aeginetæ; Calamidis, qui vtrinque ſunt equi, & equeſtres pueri opera ſunt*. Pindarus verò Hieronem in Pythijs curru victorem celebrat ode I. & II. Pyth. vt in VI. huius tabulæ nummo. Fuit Hieron. curru victor Pythiade XXIX. Caput ariſtis, & arundine coronatum Arethuſam repræſentat, iuxta quam Apis eſt mellifluæ Siciliæ, ac Syracuſiij mellis index.

IV. ΕΦ. *Epheſiorum* ΓΙΜΗΣΙΑΝΑ *Gimeſiana*: conſiderandum, num forte ΓΑΛΛΗΣΙΑΝΑ à Monte Galleſio, quem Epheſo proximum Strabo commemorat.

V. ΤΑΥΡΟΜΕΝΙΤΑΝ *Tauromenitanorum*: Apollinis tripus: in auerſa verò facie Apollinis Archagetæ caput laureatum: nam in alijs AP. legitur, cui Apis eſt appicta.

VI. ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ *Syracuſanorum*. Arethuſæ caput, vt in III. huius Tabulæ nummo. Quadriga eiuſdem Hieronis victoriam appingit in Syracuſarum laudem, vt Pindarus Ode II. Pyth. *O magnis conſtitutæ Vrbibus Syracuſæ bello potentis Martis delubrum, virorum, equorumque ferro gaudentium felices nutrices. Vobis à præclaris Thebis hoc epinicij adferens venio. Quadrigæ terram concutientis denunciationem, per quam Hieron victoriam obtinens, procul fulgentibus coronis Ortygiam reliquit, ſedem fluuialis Dianæ, citra cuius opem, illas habenis varias non domuit admirandis manibus ſuis equas*.

TA-

TABVLA VII.

ΑΥΤ. ΚΑΙ. ΘΕΒ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC. *Imperator Cæſar Auguſtus Antoninus*. Caput Antonini Pij laureatum. CYPIΩN. *Syrorum*. Capita Marci Aurelij, & vxoris Fauſtinæ inuicem aduerſa cum ariſta intermediâ: infra appicta eſt Apis, & aſtrum. Supra caput Fauſtinæ, legitur: KOP, ideſt KOPH *Core, præſtanti forma puella*, quo epitheto cognominata fuit Proſerpina, & in hoc nummo à Syris per adulationem, Fauſtina, pulchritudine magis, quàm pudicitia conſpicua. Supra caput Marci Aurelij duæ aliæ leguntur literæ IP. ideſt IPOC Ionicè pro ἱερος: *Sacer, Sanctus, Diuinus*, ob eius, vt inquit Capitolinus, in omni vita, & à prima infantia ſanctitatem. Cuſus fuit hic nummus poſt Fauſtinæ cum Marco Aurelio nuptias à Syris, ſiue à Communi Syriæ; nam hæc regio Tetrapolis dicta, Strabone teſte, quatuor ante alias habuit illuſtres Vrbes à Seleuco conditas, Antiochiam, Seleuciam, Apameam, & Laodiceam, quæ propter ipſarum homoniam, & concordiam, Sorores appellabantur. Eodem ſenſu in nummo Traiani KOINON CYPIAC *Communæ Syriæ* ab ijſdem Syris cuſo in honorem eiuſdem Imperatoris cum capite Syriæ Deæ turrito. Hic perrarus Nummus mediæ magnitudinis in Reginæ Chriſtinæ Auguſtæ Theſauro adſeruatur.

Apis ſub Fauſtinæ, & ſub M. Aurelij capite Stella inſculpta eſt, ſpicà inter vtrumque ipſorum mediâ, vbertatis, & feracitatis eiuſdem regionis indices. Syria enim cęli, ſolique amænitate commendatur, celebriſque præ cunctis ros eſt Syriacus, quem Apes ad mella conficienda ex roſis, & floribus legunt. De ſpica vero, & Ape, ſiue de Ape Cereris miniſtra vide ſupra in Apis Hierogrammatiſmo, quæ ex Pindaro, & Pauſania refert Menetrcius.

Succedunt infra ſex vetuſtæ Gemmæ anulares inciſæ, Apum argumenta referentes, quæ in Barberina Dactyliotheca adſeruantur.

I. Prima gemma Corniola aratrum exhibet, duabus Apibus iugalibus, tertia Coloni inſtar, vomeri inſiſtit ad regimen cum ferula. Quo emblemate continentur tria humanæ vitæ bona; ſcilicet Sapientis

tis regimen, Telluris ad victum cultura, & labor, ac mellis dulcedo, & recreatio, quæ tria bona sequenti distícho exprimuntur in Poematibus Vrbani VIII. sapientissimi Pontificis, clauo Ecclesiæ Apibus præsidibus, atque mellificantibus:

Supremum regimen, cultę sata iugera terræ,
Mellis opus; tria sic tres potiora notant.

II. Apis Solis faciem radiatam referens, Solarem virtutem in perficiendo melle indicat, cui aptatur Virgilianum illud de Apibus ipsis: EXERCET SVB SOLE LABOR. Solis facies sic in orbem radiata insigne fuit Vrbani Octaui literatissimi, ac splendidissimi Principis, ad cuius virtutem, & laudem hoc emblema componitur.

II. LEONI, è cuius ore Apis egreditur, alludere videtur Samsonis ænigma DE FORTI EGRESSA EST DVLCEDO. Alij tamen hoc sigillum inter veterum amuleta, ac Mithriaca Mysteria adnumerant.

IV. Apes tres ad truncum semper virentis Lauri aduolantes, atque mellificantes cum lemmate: HIC DOMVS. Carminum ipsius Vrbani immortalitatem innuunt.

V. Venator Amor Auem ramo insidentem arundine percutit, aduolante Ape, cui subijcimus DVLCIS AMOR LAEDIT.

VI. Fibula ærea antiqua Apis in effigiem formata.

De Apibus.

Idem amor, atque Apibus eadem experientia parcis,
Sed nec agros populare palam, aut incumbere furtis.
Cum iuuet è proprio vitam tolerare labore.
Iustitiam norunt solæ, & seruare pudorem:
Aequales cunctis operæ, studiumque parandi.
Mane nouos adeunt flores examine denso,
Cœlestemque legunt rorem, atque in tecta reportant.
Mox vacuis stipant cellis, vt nectere largo
Ignauas ducant hyemes, & frigora temnant.

Ex Iou. Pontano.

TA-

TABVLA VIII.

AD huius operis abſolutionem, & elegantiam conſentaneum duximus, additis Dianæ Epheſię Templo, & ſacris, attexere quoq; votiuam Lucernam, 1. eidem dicatam à quodam Eutyche Miletopolitarum Stratego, quæ Lucerna in noſtro Muſeo vetuſtatis luce inextincta refulget. Anſæ apicem habet recuruum in modum falcatæ Lunæ cum titulo : ΑΡΤΕΜΙϹ ΕΦΕϹΙΩΝ ΕΥΤΥΧΟΥϹ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΜΕΙΛΗΤΟΠΟΛΕΙΤΩΝ *Diana Epheſiorum Euthychis Alexandri Miletopolitarum*. Eutychem hunc Miletopolis Vrbis Strategum fuiſſe indicat nummus Commodi 2. ab Erizzo vulgatus, qui ab vno latere exhibet Imperatoris caput cum literis : ΑΥ. ΚΑΙ. Λ. ΑΥΡΗ. ΚΟΜΜΟΔΟϹ. *Imperator Cæſar Lucius Aurelius Commodus* ; ab alio Mercurium ſaxo inſidentem cum Caduceo ; ijſdem Eutychis nominibus, in Lucerna inciſis, ac Strategi dignitatem referentibus : ΕΠΙ. ϹΤ. ΕΥΤΥΧΟΥϹ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΜΕΙΛΗΤΟΠΟΛΕΙΤΩΝ *Sub Stratego Eutiche Alexandri Miletopolitarum*. Sic vertendum, ſanè, haud quaquàm cum Erizzo ipſo : ΕΥΤΥΧΟΥϹ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ *Felicis Alexandri*. In quem errorem fortè non incidiſſet accuratiſſimus Nummographus, ſi Strategi dignitas primoribus literis patuiſſet. Extat & alius eiuſdem Vrbis nummus mediocris magnitudinis, in honorem Gordiani Pij à Clariſsimo Equite Patino editus 3. ΑΥ. Κ. Μ. ΑΝ. ΓΟΡΔΙΑΝΟϹ. *Imperator Cæſar Marcus Antoninus Gordianus* Gordiani caput. In latere aduerſo Diana Venatrix conſpicitur cum epigraphe ΕΠΙ. Μ. ΤΡ. ΑΥΡ. ΕΡΜΟΥ ΜΕΙΛΗΤΟΠΟΛΕΙΤΩΝ *Sub Marco Traiano Aurelio Herme, ſeu Hermete Miletopolitarum*; ex quibus conſtat, huius Vrbis ſtudium, & cultum inſignem fuiſſe in Dianam Epheſiam. Stephanus Miletopolim ſcribit Vrbem eſſe inter Cyzicum, & Bithyniam, circa Rhyndacum fluuium, deque ipſa Strabo, & Plinius.

MATER DEUM. MATER SYRIAE
D S

IO. PETRI BELLORII

EXPOSITIO

SYMBOLICI DEAE SYRIAE SIMVLACRI.

APVM argumentum vocat nos ad Syriæ Deæ, ſeu rerum Naturæ ſimulacrũ, quod ob oculos ponitur iuxta Syrorum doctrinam, ac ſuperſtitionem; noſque eò libentiùs ipſum meditamur, quòd hæc Dea cognationem habet cum Epheſia Diana; vtraque enim plurimis myſterijs, & ſymbolis ſpectabilis eſt, ac præcipuè Apum inſignijs, quibus ambæ decorantur. Simulacrum ipſum ex aere ductum apud Virginium Vrſinum Anguillaræ Comitem olim viſebatur, eiuſque imaginem ad magnitudinem, ac ſimilitudinem, quæ habetur in Pyrrhi Ligorij Codicibus, in Bibliotheca Auguſtæ Reginæ Chriſtinæ adſeruatis, deſumpſimus. Titulus in baſi legitur.

MATER. DEOR. ET. MATER. SYRIAE

MAtrem Deûm Cybelem, & Deam Syriam vnum, idemque numen eſſe plurima indicant argumenta in hoc ſimulacro appicta; muralis ſcilicet, ac radiata Corona in capite, Tympanum, & Colus in ſiniſtra manu; Leones præterea, qui Deæ montano ſaxo inſidenti adſtant. Horum indiciorum locuples, & oculatus teſtis eſt Lucianus celeberrimi Templi eiuſdem Deæ, quod in Syria erat, conditorem requirens; hæc enim refert in Dialogo de Dea Syria: *& multa ſigna adſunt, quæ ipſam Rheam videri faciunt; nam & Leones ipſam ferunt, ac tympanum habet, & coronam in capite turritam geſtat, qualem & Lydi Rheam effingunt.* De colo, ſceptro, & radijs paulò inferiùs. *Alterâ quidem manu ſceptrum tenet, alterâ colum, & in capite radios gerit, ac turrim.* Coronam turritam Cybeli peculiarem ideò tributam aſſerunt, quòd prima Vrbes muris conſtruxerit, ac munierit, vt inquirit Ouidius vulgatis illis carminibus:

At cur turriferâ caput eſt onerata coronâ?
An primis turres Vrbibus ipſa dedit?

Altera corona radiata, quæ ipſius caput cingit, refertur ad Solarem virtutem, quam Sol benefico lumine ſuo Cybeli, ſeu Terræ impartitur ad producendas fruges, omneſq; res naturales, quorum Sol nuncupatur auctor, & parens, ideoq; à Macrobio dicitur fons cęleſtis lucis, mens, & temperatio Mundi.

In vertice huius noſtri ſimulacri eminet Cydaris, ſeu Mitra eius caput exornans, adinſtar falcatæ Lunæ, quæ, vt in Scipionis ſomnio ſcribit Cicero, in infimo orbe conſtituta, radijs Solis accenſa conuertitur. De temperie caloris, humoriſque ab his duobus aſtris ad fęcunditatem terræ, humanique generis beneficentiam emanante inſignis eſt locus Senecæ libro de Beneficijs: *Num dubium eſt, quin hoc humani generis domicilium circuitu Solis, & Lunæ vicibus ſuis temperetur? quin alterius calore alantur corpora, terræ relaxentur, immodici humores comprimantur; alligantis omnia Hyemis triſtitia frangatur, alterius tepore efficaci, & penetrabili rigetur maturitas frugum? quin ad huius curſum fœcunditas humana reſpondeat? quin ille annum obſeruabilem fecerit circumactu ſuo, hæc menſem minoribus ſe ſpatijs flectens?* Hoc idem ſenſiſſe videtur huius ſimulacri auctor per duodena Zodiaci ſigna depicta in faſcia illa, quæ pallio ſuperimpoſita, è collo vtrinq; dependet ad pectus, & inde reiecta à ſiniſtro brachio diffunditur, fœcunditatem, atque vbertatem terræ deſignans à Solis & Lunę circuitu prouenientem; Sol enim per anni tempora Signiferum percurrens quadrifariam diuidit: vrgente Bruma frugum ſemina circumcluſo calore fouet; adueniente Vere, eadem in frondes, & flores educit, donec Aeſtiuo, atque Autumnali tempore, fructus omnes ad maturitatem, & perfectionem perducat. Eandem genitalem vim innuere videtur Lunula cum Aſtro appicta in eadem Mitrà, ſtellarum influxus in hæc inferiora ſignificans; niſi potiùs Aſtrum illud Solem ipſum referat, ad demonſtrandam horum, vt putabant, æternitatem; nam Aegyptij Sacerdotes æuum innuentes, teſte Horo, Solem, & Lunam pingebant. Ipſam autem Deæ Syriæ Lunatam Mitram comprobat vetus monumentum à Clariſs. Seldeno in Syntag. de Dijs Syris relatum; in quo Dea ſedet inter Leones duos Tiara, ſeù Diademate Lunato ornata, cui ſubiungitur inſcriptio.

P. ACILIVS . FELIX
D.D.DIA.SVRIAE
CVM.SVIS

Communionem ampliùs, quam Cybeles habet cum Iſide, ſeu Luna, ſatis indicat Siſtrum, quod noſtrum Simulacrum ſiniſtra manu gerit cum alijs ſymbolis; atque omnibus palam eſt, Matrem Magnam, Rheam, Cybelem, Opim, Cererem, Proſerpinam, Iſidem, & Lunam, quamuis diuerſa nomina, in re tamen vnum fuiſſe numen, imò vnam, eamdemque rerum Naturam ex Aegyptiorum placitis ac myſterijs. De Iſide verò hæc profert Macrobius: *Iſis cunctâ religione colebatur, quæ eſt terra, vel natura ſubiacens Soli.* Martianus Capella de Lunari globo loquens: *in eo Siſtra Niliaca, Eleuſinaque lampas; arcus Dyctinnes, tympanaque Cybeles.* Siſtri formam deſcribit Apulcius Aſ. Aur. ſimulacrum Iſidis, ſeu Lunæ appingens: *nam dexterâ*

qui-

quidem ferebat æreum crepitaculum, cuius per anguſtam laminam in modum balthei recuruatam, traiectæ mediæ paruæ virgulæ, criſpante brachio, tergeminos ictus reddebat argutum ſonum. Plutarchus in ſuo Opuſculo de Iſide,& Oſiride rationes naturales reddit de earumdem virgularum ictibus, & concuſſione, per quas ſignificari ſcribit ſub Luna cuncta moueri, generari, & corrumpi, & per quatuor virgulas quatuor elementa: *Siſtri verò deſuper orbicularis proſpectus continet quatuor*, ſcilicet virgulas, *quæ concutiuntur; etenim pars mundi quæ generatur, & corrumpitur, comprehenditur quidem à lunari Sphæra; mouentur autem in ea omnia, & mutantur per quatuor elementa, Ignem, Terram, Aquam, & Aërem.* Alij per hoc crepitaculum intelligebant Nili incrementum, Lunæque aſſiduas vertigines, & conuerſiones, quibus in cælo mouetur. At virgulæ quatuor, quas Plutarchus intelligit ad numerum Elementorum,non reſpondent noſtro Deæ Syriæ ſimulacro, cuius Siſtrum tribus tantùm virgulis conficitur, totidemque numerantur in aliquibus alijs imaginibus, ac præcipuè in ſupra exhibitis Iſidis Phariæ ſiſtratæ ex ſententia illorum fortè, qui ignem inter elementa non admittunt ad principia rerum naturalium, ſupplerique autumant calore Solis. Cum autem de Siſtro ſermo ſit, non abs re fuerit eius formam ob oculos ponere ex æreo illo veteri, quod in noſtro Muſæo aſſeruatur, cuius principalem, ac lateralem faciem ad integram ſimilitudinem hìc exhibemus. Præter illas igitur quatuor virgulas deſcriptas; in eiuſdem Siſtri ſummitate Felis decumbens fœtibus lactantibus inſculpta eſt, atque in eius ipſius vertice Lunæ globus eminet, connexionem, quam hoc animal habet cum Luna, indicans, iuxta deſcriptionem Plutarchi, eodem loco: *Siſtri apſidi in vertice Felem cum vultu humano inſculpunt. Infra ſub ijs, quæ torquentur, hìc Iſidis, illic Nepthydis effigiem. Innuunt his vultibus ortum, & obitum, ſic enim elementorum ſunt vices, & motus. Fele Lunam ob varietatem laborum nocturnorum, & fœcunditatem huius animalis; ſiquidem hoc ferunt gignere vnum, inde duo, tria, quatuor, quinque, atque ita ſingulatim ad ſeptem vſque adijciunt, vt octo & viginti vniuerſa pariat, quæ Lunæ ſunt lumina. Atque hoc fortaſsè ſit fabuloſius. At in oculis ſuis pupillæ in plenilunio compleri, atque explicari videntur, contra deduci, inopacarique Luna ſeneſcente. Facie humanâ Felis intellectus, & ratio repræſentatur voluminum Lunarium.* Hoc vltimum, ſymbolum in noſtro Siſtro non conuenit cum deſcriptione Plutarchi; nam Felis humana facie non eſt prædita, ſed talem habet vultum, qualem omnibus ſuæ ſpeciei animantibus natura impertita eſt. Non multis ab hinc annis viſebantur Romę Siſtra duo, in quorũ vtroque Felis efficta erat humano ore conſpicua; alterum apud Bartholomæum Giulit Nobilem Gallum, alterum in celebri Muſæo Eq. Franciſci Gualdi, quorum icones perhumaniter, vt ſolet, harum elegantiarum

decùs

decus, è ſuo ditiſſimo penu exhibuit nobis Illuſtriſs. D.Carolus Antonius à Puteo Sancti Stephani Eques Commendatarius, è cuius deſcriptione, poſt allata Plutarchi verba, hæc pauca excerpſimus.

Quæ deſcriptio Plutarchi ad vnguem cuidam Siſtro antiquo, cuius copiam mihi fecit amantiſſimus, huiuſque diſciplinæ peritiſſimus Bartholomæus Giulit vir nobilis Gallus, reſpondet. In vertice enim inſtar luſorij reticuli ſinuatur, quatuorque ferreas virgulas infixas habet, quæ huc, illuc elabentes ſonitum quemdam edebant: ne verò excuſſæ in terram deciderent, ad vniuſcuiuſque virgulæ initium, eodem ferro efficta erant vtrinque Anſerum ſiue Anguium capita inuicem ſe aſpectantium. In vertice Felis humano capite cælata viſebatur, poſtea verò erat manubrium, vt commodius Siſtrum manibus contineri poſſet. Quam ſecundo loco iconem damus, erat apud Eq.Franciſcum Gualdum, ſolaſque tres ferreas virgulas habebat, quarũ media immobilis erat, in reliquis ſuperiori reſpondebat. Quod verò Siſtrum exhibemus, è Gazophylacio Cardinalis Virginij Vrſini nuper erepti noſtris Cimelijs acceſſit. Sed & aliud erutũ modò eſt Via Aurelia in Suburbana Villa Illuſtriſs. D.Laurentij de Corſinis, ab eodem dono datum D.Leoni Strozzæ, auitâ nobilitate, moribus, optimorumque ſtudiorum cultu in florenti ætate inter Romanos Proceres ſpectando, in cuius ſplendidiſſimo Muſæo aſſeruatur, noſtro ſanè perſimile, ſi tantummodò Lunarem globum in Felis vertice addas. Nephthydis, & Iſidis effigies, quas Plutarchus infra virgulas deſcribit, ortus & obitus indices, non adhuc inſpicere contigit, ſed in vtroq; Siſtri latere Iſidis tutulum, ſeu Mitram Lunari globo inſignem.

Sed cum de Siſtro abundè locuti ſimus, reliqua ſymbola modò percurramus. Siſtrum ſequitur Colus, quem hæc Dea vna ſimul manu gerit, connexionem indicans, quam ipſa habet cum Fato, & Parcis, quæ nent, & recidunt humanæ vitæ ſtamina. Sors enim & Fatum Lacheſis nomini ineſt; & hoc intelligitur in noſtro ſimulacro, iuxta Luciani deſcriptionem ſupra allatam: *alterâ quidem manu ſceptrum tenet, alterâ colum.* Nam Dea Syria, præter illa plurima nomina, quibus inſignitur, Proſerpina quoquè vocabatur, eique Parcas ſubeſſe, eiuſque imperio parere dictitabant, vt apud Claudianum ſic raptam Proſerpinam Pluto ſolatur:

Accipe lethæo famulas cum gurgite Parcas,
Sit fatum quodcunque velis.

Quarè Proſerpinam habuiſſe communem ædem cum Parcis, ac matre Cerere in Atticis ſcribit Pauſanias; ideò fortè Dea Cybeles, etiam Proſerpina fuit cognominata, quòd Phyſici, teſte Macrobio inferius hemiſphærium terræ Proſerpinam vocauerunt.

Poſt Colum viſitur Caduceum, quo aër deſignatur, & Mercurius; nam cum eius ſidus velociſſimum ſit, ideò hic Deus alatus fingebatur, ipſumque

per



Ex Musæo Io: Petri Bellorij

per aëra volitare, atque ire, & redire ad ſuperûm, Inferorumque domus putabant. Cum verò humectans, & calidus aër ſit; calore igni, & humore aquæ conſociatur; quæ duo Elementorum, Naturæque diſſonas qualitates, vt placet in Timęo Platoni, perfectionem huius mundanæ molis inſolubilem conciliant atque deuinciunt. Caduceum quoquè benè iungitur ſtamini, & colo humanæ vitæ; pertinet enim ad genituram hominum, teſte eodem Macrobio: *Argumentum Caducei ad genituram quoquè hominum, quæ Geneſis appellatur, Aegyptij portendunt.*

Flagellum præterea, quod Syria Dea pro ſceptro manu gerit, vſitatiſſimum eſt in Aegyptijs Deorum ſimulacris, ipſamque depulſare mala, atque aduerſantibus terrorem incutere indicat. Erant porrò aliqui Dij propitiatores, ac defenſores Ἀλεξίκακοι, atque Auerrunci nuncupati, ijſquè Typhoniam vim neque reſiſtere, neque noxam inferre poſſe arbitrabantur.

De Leonibus Cybeles, qui Deam concomitantur, nota res eſt apud Ouidium in Faſtis, Hippomenem, atque Atalantam ipſius irâ Deæ in has feras conuerſas deſcribentem. Referunt alij fabulam ad rationes naturales, & præcipuè Macrobius ſæpè à nobis allatus in Saturnalibus: *Quis enim ambigat, Matrem Deûm terram haberi? Hæc Dea Leonibus vehitur validis impetu, atque feruore animalibus; quæ natura cæli eſt, cuius ambitu aër continetur, qui vehit terram.* Aliam affert cauſam Lucretius, adiunctos aſſerens bijuges Leones currui ipſius Deæ ob emollitam hominum feritatem:

Adiunxere feras, quia quamuis efferra proles,
Officijs debet molliri victa parentum.

Cui aſſentitur Ouidius in Faſtis:

. . . . . *feritas mollita per illam*
Creditur: id curru teſtificata ſuo eſt.

Placuit tamen alijs, Leones manſuetos Matri Magnæ adiunctos, vt indicarent, nullum eſſe terræ genus tàm aſperum, atque ferum, quod non ſubigi, colique poſſit. De qua re plura Menetreius in Hierogrammatiſmo Leonum. Noſtrum verò ſimulacrum non curru à Leonibus vectam Deam repræſentat, ſed quod rarius eſt, ipſam inſidentem montano ſaxo, ijſdem feris ad eius pedes, atque eius lateri adhærentibus. Cybele porrò à montibus, in quibus erat culta, diuerſa nomina ſumebat, dictaque fuit Berecynthia, Idęa, & Dindymene à Cybele, Berecyntho, Ida, & Dindymo, quin etiam Montana Petroſa, Montigena, & Agdiſte fuit cognominata, quòd in finibus Phrygiæ ex monte, quem indigenę Agdum appellant, diuinitus fuerit informata teſte Arnobio.

Roſæ in pectoris zona, atque in clamyde intextæ, Matris Deûm, ſeù Telluris florenti Vere primitias oſtentant. Quare in eius feſto, cum Dea per Vrbes vectaretur, ante ipſius ſimulacrum Roſæ ſpargebantur, iuxtà

eiuſdem Lucretij deſcriptionem.

Ergo cùm primùm magnas inuecta per Vrbeis
Munificat tacitâ mortaleis muta ſalute:
Aere, atque argento ſternunt iter omne viarum,
Largificâ ſtipe ditantes, ninguntque roſarum
Floribus, vmbrantes Matrem, comitumque cateruas.

Quod idem ſolemne fuiſſe in Iſidis, ſiue ipſius Deûm Matris pompâ refert Apuleius, in quâ Sacerdos ante Deæ ſimulacrum, coronam amænis contextam roſis gerebat, quæ Lucium ferinâ ſpecie exuerunt. Sed præclarius argumentum præbent Apes, quæ in extrema clamydis ora, roſis intermixtæ limbum viciſſim pingunt, & venuſtè quidem, nam & ipſæ florilegæ roſas amant, ac in hortis cum thymo, & violis, ad mellis munera depaſcunt. Quin & Apes Matri Deûm ità ſunt addictæ, vt Cybeleio æris tinnitu mulceantur, ac abeuntes reuocentur, vt deſcribit Virgilius:

Tinnituque cie, & Matris quate Cymbala circum,
Ipſæ conſident medicatis ſedibus ipſæ
Intima more ſuo ſeſe in cunabula condent.

Simul ergo Apes, & roſæ Deæ Syriæ, & Epheſiæ Multimammiæ dicabantur, & vtriuſque ſimulacrum exornant intermixtæ; de quibus conſule Menetreium in ipſarum Hierogrammatiſmo.

De corporis cultu, atque indumentis, quibus hoc Deæ ſimulacrum inſignitur, Cydari nempè, & pallio, ac faſcia fimbriata, quæ è collo vtrinq; dependet, an ab his emanarint noſtrorum Antiſtitum veſtes, Mitra, Planeta, ſeu Pluuiale, ac Stola, videant peritiores. Velo, quod è collo dependet, ac Deæ caput obnubit, noctis vmbræ indicantur, quarum Diana eſt moderatrix, Noctiuaga, & Noctiluca cognominata.

Reſtat vt reliqua ſymbola, quæ dextero brachio inſculpta hærent, paucis perquiramus. Quid porrò Arcus, Pharetra, atque ignita fax? Non ne his congruunt illa ſuperiùs allata verba Martiani Capellę de Lunari globo loquentis? *In eo Siſtra Niliaca, Eleuſinaq; lampas, Arcus Dictynnæ, tympanaq; Cybeles.* Quibus verbis cum Luna coniunguntur Iſis, Ceres, Diana, ac Cybele, niſi malis pharetram, Arcum, & facem ad ipſam tantùm Dianam pertinere, eamdem Lucinam, & Venatricem nuncupatam.

Ad Cupidinem quoquè, & Venerem hæc tria ſpectare, non ſine ratione quis dicat ad ſignificandam Amoris eiuſque Matris inſitam vim, quæ cuncta mouet in omnibus animantibus, ac rebus naturalibus procreandis, iuxta Lucretium in principio operis ſui de Rerum Natura, qui ſic Venerem inuocat, Amoris flammam pectoribus incutientem.

Denique per Maria, ac Monteis, fluuioſque rapaceis,
Frondiferaſque domos auium, campoſque virenteis,

Omni-

Omnibus incutiens blandum per pectora amorem,
Efficis vt cupidè generatim ſæcla propagent.

Faci proxima harpago, ſiue vncus appictus eſt ad denotandam rerum naturalium connexionem, & ſeriem, niſi malis Gnomonem eſſe, & regulam ipſarum rerum in hoc mundo concinno ordine diſpoſitarum. Vides inde humero, brachioque, & manui ipſius Deæ hærentia animalia, quæ in terra, atquè in aëre naſcuntur: Aprum Martis, Leonem Solis, ac ſi rectè conijcimus, Coruum Apollinis, Columbam Veneris; hiſque ſubiacentem Scarabæum conſuetum apud Aegyptios Solis ſymbolum, & amuletum. Inter verò Reptilia in dextera manu, ac digitis conſpicitur Lacertus Veris, & redeuntis anni index, item Cochlea, & Papilio: illa ex putri in vitam educta; hæc ex ſemine perpetuò renaſcens, immortalitatis, vitæque reſurgentis typus. In volâ dexteræ aſpice pomum vbertatis, ab ipſa proueniens Deæ fęcunditate. Manus verò ſic extenſa, atque aperta eſt ad maieſtatem, & beneficentiam, ſupra quam fulmen extremis digitis imminens, nil aliud ſignificare videtur quàm ſupremi Numinis prouidentiam, ac diuinitatem, cuius vtriuſq; typus eſt fulmen, ad regimen huius mundanæ molis.

Templum denique cum turritâ coronâ in capite eminens, illud eſſe cenſemus donarijs, ſacris, opibus, & magnificentia Hierapoli celeberrimum, in quo Dea veneratione ſummâ colebatur. De eius multiplici ſpecie, ac nominibus intellexiſſe videtur Apuleius, cum per ſomnium ità loquens ſe Lucio ipſi palâm exhibuit: *Cuius Numen vnicum multiformi ſpecie, ritu vario, nomine multijugo totus veneratur Orbis. Inde primigeni Phryges Peſſinunti eam nominant Deûm Matrem, hinc Autochthones Attici Cecropiam Mineruã, illinc fluctuantes Cyprij Paphiam Venerem; Cretes ſaggittiferi Dictynnam Dianam; Siculi trilingues Stygiam Proſerpinam; Eleuſini vetuſtam Deam Cererem; Iunonem alij, alij Bellonam, alij Hecaten, Rhamnuſiam alij, &c.*

His ad explicationem huius myſtici ſimulacri pro noſtra tenuitate expoſitis, ſi quis detrahat Ligorio fidem in antiquis monumentis, quaſi mendacio operam noſtram eluſerit, ſciat is nos de Ligorio vnâ cum Clariſſ. Spanhemio ità ſentire, vt illum in vetuſtis reliquijs colligendis, delineandis, deſcribendis ſummâ laude dignum exiſtimemus. Siquidem quadraginta, & plura volumina digeſſit, quæ in Taurinenſi Bibliothecâ, & alibi adſeruantur. Quòd ſi in tanta rerum mole aliqua minùs fide digna reperiantur, cuncta abijcere, atque euertere magnum Litterarum, ac Rei antiquariæ foret detrimentum. In Simulacro ipſo adeò omnia reſpondent myſteria, ac ſymbola rebus naturalibus, fabulis, & ipſi Philoſophiæ conſona, vt puram redoleant antiquitatem vel ſuprà ipſius Ligorij eruditionem. Quare, ne quid deſit, aut deſideretur, eius interpretationem huic noſtræ adijcimus.

Ex-

Excerpta ex Pyrrhi Ligorij interpretatione Simulacri Deæ Syriæ Italico sermone descriptâ.

D'Iside, & Matre Syria natura generante &c.

ALcuni Filosophi significarono in lei l'vniuersale, il Cielo, & la Terra; fecero la figura sua con tutti i simboli delle cose, che il ritratto di presente hà dimostrato, secondo quella statuetta antica di bronzo, che haueua il Sig. Virginio Vrsino Conte dell'Anguillara, che nelle parti più alte nell'estremità ha figurato nella testa le cose del Cielo, la Mitra, & vn'altra fabrica Episcopale, & tutelare di ogni suo gouerno. Nella cima della mano destra tiene il fulmine per significato dell'aere, & delli fulmini che intuonano strepitosamente nell'aere. Intorno il mantello hà li Segni Celesti de' Planeti, d'onde Planeta è detto il militare Fiuiale de'nostri Christiani Episcopi, che hanno, come militari Pastori il gouerno delle sue gregi, secondo la celeste regione, & fermissima fede. Poiche questo habito è stato ritratto dalla Dea Syria, & conseruato dalla Santa Chiesa, perche in esso si riconosce quell'Altissimo Dio, che hà fatto la Natura.

In essa sono la Luna, il Sole, le Stelle, le celesti torri, che circondano la fortezza del celeste reggimento, oue sono i simboli de'Planeti. Nella mano destra, come principale nelle potentie, che gli Astronomi hanno formato ciascun Planeta, il fulmine di Gioue, la facella del Sole, il carcasso, e l'arco della Luna, la Colomba di Venere, la Falce di Saturno, il Corno di Apollo, il Cinghiale di Marte. Nell'altre diuersità degli effetti delle Stagioni, & cose terrestri vi sono le Farfalle, le Lucerte, li Pomi, la Limaca, & per tutto il manto li Fiori. Nella mano sinistra appoggiata sù'l Crepitabulo, il Timpano per li Venti, il Sistro per le Stagioni, li Sonagli per lo strepito dell'aere, il Caduceo di Mercurio per li contrasti, per la pace, per lo parlare, per le congiuntioni indissolubili, per lo metro delle cose che passano per lo Cielo, & per l'Aria. Il fuso delle Parche lo stame della vita; li Pesci per lo Mare, i Leoni per gli Animali, & ferocità di essi, & per la potenza del Sole. Il solio oue siede è sopra vn monte per li Monti, & Olimpi della grandezza terrena. Li Segni che hà la Dea intorno il Planeta, ò Mantello, che è figura del coperto, ò padiglione celeste, che copre ogni cosa aerea, e terrena. Alcuni hanno fatto ad essa Matre Syria le Parche istesse per sua cintura, & le Hore intorno il petto, & altri vna collana di mammelle, & secondo scriue Luciano, hauer veduto la Matre Syria scolpita in significato di tutti gl'Iddij, e tutte le Iddee, le Muse & celesti Planeti, la Vittoria, la Fortuna, le Parche, il Sole, la Luna particolarmente, & esser Pallade, Marte, Bellona, Venere, di cui hà il cesto di Rose &c.

SPECIAL
Folio
88-B
12774

w/ 88-B
18561

THE GETTY CENTER
LIBRARY